REGVM
SIVE CAESARVM ROMANORVM
LIBER
Ex veteribus Germanis desumptus Authoribus

Per Franciſcum Ioannettum I. V. Doctorem, & in almo patriæ Bononienſi Gymnaſio ſacrorum Canonum profeſſorem.



Bononiæ, Apud Alexandrum Benatium. *De Aſſenſu Superiorum.* 1585.

SANCTISS^MO AC BEATISS.^MO
DOMINO NOSTRO
DOMINO SIXTO QVINTO,
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

Summam fœlicitatem demisſè precatur.

P*OSTEAQVA'M librum Pontificum Romanorum, ſanctiſsime Pater, ex catholicis veteribus Germanis ſcriptoribus pro defenſione ſanctæ Apoſtolicæ ſedis Romanæ aduerſus blaſphemos huius æui ſcriptores hæreticos, quorum libros legere à ſacro Inquiſitionis Romanæ officio mihi liberè datum eſt, ſuperioribus annis è Germania ad patrium Bononienſe Gymnaſium reuocatus compoſui: ac illum ſanctiſsimo PIO. V. omnibus ſæculis ſumma reuerentia, honore, & gloria memorando obtuliſſem: ille (vt Princeps religioſiſsimus fuit, & mirumimodùm eccleſiæ Chriſti amans) mihi identidem piè iniunxit, ne detrectarem laborem conſcribendi quoq; ex iiſdem antiquis Germanis auctoribus geſta Cæſarum, præ-*

ſertim Germanorum, illaq; libro Pontificum aptè inſererem: quò & actiones Pontificum Romanorum, & perſecutiones, quas ijdem Pontifices à Principibus Germanis olim paſsi ſunt, non ex fabulis amplius recentium hæreticorum, & confictis contra Ro: Pontifices hiſtorijs, ſed ex antiquis authoribus Germanis, quorum magna pars illis vixerunt temporibus, palàm omnibus conſtarent. Sacroſancta proindè Vicarij Chriſti iuſſa pro mea virili fideliſsimè exequi, minimè renui. At priuſquàm opus iniunctum abſoluiſſem; mors intempeſta (immò certè peccata populi) optimum Paſtorem nobis eripuit. Cùm igitur ante annos ab hinc plus minus nouem extremam manum iniuncto operi impoſuiſſem, operæprecium, ob iuſtas & graues cauſas, tùm fore exiſtimaui, illud potius in pulueribus & tenebris totum id temporis latere, quàm in lucem intempeſtiuè prodire. Quamobrem iam cernens precipuo Dei nutu ſanctàm eccleſiam, te optimo Paſtore vniuerſi gregis dominici conſtituto, nunc primùm reflorere, haud amplius cunctandum duxi, quin hunc librum Regum, maximè Germanorum, tuæ ſanctitati ad ſacros Pedes proſtratus humili mea deuotione offerrem. Non quidem vt labor hìc meus dignus ſit (ſat ſcio) qui ad conſpectum diuini culminis tui prodeat: ſed quò potius animus meus erga ſanctitatem tuam,

Diui

Diui Petri Sedem; & sanctissimi illius PII. V. gloriosam memoriam, cum summa deuotione coniunctus expendi hac in re possit. Optarem equidem & sanctitati tuæ grata, & Christi ecclesiæ commoda me exhibere posse. At cùm in tenui penuario meo perexigua tantum condita reperiantur, diues sanè munus indè proferri nequiuit. Suscipe itaq; sanctissime Pater, hanc qualemcunq; animi mei significationem, posteaquàm maiora nunc moliri pro seruitio sanctæ ecclesiæ hactenus mihi desuper datum non est. Prosperrimè interim valeat Beatitudo tua, cuius sanctissimos Pedes humi procumbens cum mea humili commendatione exosculor: Deum Optimum Maximum precatus, vt sicuti eam longo dudùm tempore desideratam nobis clementissimè concessit, ita diutissimè fœlicem ecclesiæ suæ & orbi Christiano adseruare dignetur.

Sanctitatis & Beatitudinis tuæ

humillimus & indignus

seruus

Franciscus Ioannettus.

ILL.MO ATQ; REVERENDISS.MO D. DOMINO HIERONYMO RVSTICVTIO S. R. E. CARDINALI MERITISSIMO;

Domino & benefactori suo longè benignissimo Franciscus Ioannettus salutem reuerenter precatur.

SI annis superioribus dissolutum fœdus Christianum, quod sanctissimus ille PIVS.V. summo labore, magnis vigilijs, & sumptu immenso, opera tua, eximie Princeps, ac studio identidem & ope summi illius Viri Principis, Michaellis Bonelli Cardinalis, quem hic honoris causa nomino, affinis tui, & ex sorore nepotis eiusdem sanctimi PII, cuius etiam sacra vestigia præclarè imitatur, aduersus inquam christiani nominis hostes ingenti cum fructu Rei christianæ confecerat, languens & planè mœrens tredecim fermè annos luxi, adhucq; indies quin lugeam, minimè possim: siquidem per illud sanctum fœdus & Turcis frenum, & perditissimis hæreticis conuersio salutari parabatur: At iam diuinitus suffecto in sede Petri sanctisimo SIXTO QVINTO, tanta iucunditate & honesto gaudio perfusus fui, vt vix vel calamo exprimi, vel animo concipi queat. Decubueram nuper lecto mense penè quinq; graui corporis oppræssus languore: vbi verò lętissimum fœlicissimumq; nuncium de hoc sanctissimo Pontifice recens electo Bononiam est perlatum, statim ut-

res animi & corporis sunt restitutæ: omnis languor absterfus, omnis luctus in gaudiū versus, omnis tristitia lætitia mihi deniq; fuit nihil planè dubitans, quin cum ecclesia sancta & nobiscū posthac sub hoc pijssimo Beatissimoq; Pastore agi omninò debeat, quemadmodùm antehac sub SIXTO IIII. & PIO V. iucundissimæ memoriæ in ecclesia & Republica fęlicissimè actum fuit. Non enim verebitur amplius vir bonus sicarium, aut latronē: non timebit domi suę stupra, non raptores bonorum, non exules & homicidas, non facinorosos gladiatorès. Sed vnus quisq; iam certò confidit, vias publicas & profectiones minimè gentium obsessas iri aut interceptas: domum propriam tutissimum cuiq; dehinc fore refugium. Proindè nunc lætitiæ & gratulationis causa, librum Regum siuè Cæsarum Romanorum, quem sanctissimus ille QVINTVS aduersus hæreticos nostri temporis scriptores vt componerem, mihi olim iniunxit, prælo statim cōmisi, & iam excussum sanctissimo Nomini Optimi SIXTI consecratum volui: vt quod PIVS olim videre optauit, SIXTVS hoc tēpore legere possit: Oblationem verò operis per te intereà fieri, donec ipse pristinas corporis vires plenius recuperauero, abs te supplex peto. Imbecillior nanq; viribus corporis adhuc existo, quàm vt me profectioni Romanę in magno æstu committere valeam. Porrò mihi planè persuasum est, quemadmodùm sanctissimo PIO nostro omnia, quæ à tua manu illi exhibebantur, gratissima atq; iucundissima nunquàm non fuerè, sic & sanctissimo SIXTO haud quaquàm ingrata hęc nostra, quæ ad suæ sanctitatis manus, te intercessore, peruenerint, futura. Te etenim vnum ex omnibus ecclesiæ proceribus delegi, cui ob summam probitatem cūm incomparabili prudentia coniunctam, me meaq; omnia lubens concrederem. Cupio valdè equidem id officij, quod magni beneficij loco erit, à Celsitudine tua mihi prędtari: cui, necnon & memorato Principi Bonello, cuncta, quę [illegible] hac luce possideo, propter magnitudinem beneficiorum, & à santissimo illo QVINTO & ab vtroq; vestrum iugiter in me collatorum, post Deum omnipotētem, debeo. Fiducia enim erga te mea, & mea erga venerandam PII V. memoriam perpetua reuerentia, me omninò cogunt, vt quo tibi plu[illegible] debeo, eo magis debere optem. Vale, Domine & Princeps benignissime, meiq; memor viue. Bononiæ Cal. Iunij. M. D. LXXXV.

REGVM

REGVM ROMANORVM, QVI IN HOC LIBRO CONTINENTVR,

CATHALOGVS.

Con-

Ruber-

INDEX

INDEX OPERIS.

A

B

C

D

E

Famem

cem

G

Henrici

H

Imperium

Perse-

R

FINIS.

DIVVS PETRVS APOSTOLORVM Princeps Pontifex Maximus, &c.

Posteaq; à diuo Petro Apostolorum Principe historiam Romanorum Pontificum aliàs auspicati sumus : nunc etiam à Nerone sceleratorum illo æuo Principe, cuius temporibus idem Petrus Martirij coronam promeruit, librum Regum Romanorum exordiar.

NERO CÆSAR AVGVSTVS.

POST Caligulam necnõ & Claudium fætidissimus Christi in sanctis eius Apostolis persequtor Nero Agrippinæ filius, & Claudij priuignus atq; gener, sub Diuo Petro regnauit. Hìc turpissimis eius moribus infamis & crudelitate insignis fuit. Romam ipsius patriam sex dies incendit: Agrippinam matrem impius parricida interfecit: Octauiam vxorem necauit: Senecam præceptorem, excisis vndiq; in corpore venis, morti tradidit. Auditis tandem Iudæorum moti-

bus, qui magnis in Romanos illatis cladibus ab imperio illorum defecerant, in Achaiæ partibus dum scenicis ludis & obscenitatibus operam daret, Vespasianum belli ducem alioquin strenuum summæ rei bellicæ in oriente præfecit. Reuersus postmodum Romam ipse Nero sanctissimos Christi Apostolos, Petrum Apostolorũ principem, Romanum Pontificem, & Paulum Doctorem gentium, vas electionis, vna die, quæ fuit XXIX. Iunij interfecit. Ante hunc fuerunt, & alij infames Christi persecutores. Porrò vbi primùm Princeps tenebrarum, & mundi huius sensit sanctum Dei esse hominem ex Deo factũ, vti mundum redimeret, à peccatis hominem atq; æterna damnatione eriperet: ac ob id humana carne vestitum, de virgine iam iam esse natum: in cor statim Herodis Regis Iudęorum immisit, vt natum puerum studiosè quęreret ad perdendum. Enimuerò irrita fuere impij Regis contra Deum consilia, quemadmodũ euangelica testatur historia.

Hoc loco operæ precium erit dispicere, qualis nàm fuit hìc Herodes, primus Christi acerrimus hostis ac persequutor: quo nempè alios, qui sequti sunt, tanti scæleris reos, haud

du-

dubiè habeamus cognitos. Præstat etenim scire, quibus vel ab initio artibus, quibusq; instrumentis semper Diabolus aduersus Christum, & aduersus sanctum eius montem syon, hoc est fidelium Ecclesiam, fuerit vsus, quibusuè etiamnùm indies vtatur improbus. Indè nimirum cuiuis facilè obuium erit, à Diabolo homines nunquam nō perfidos in obsequium eius fuisse iugiter sequestratos. Illinc inquam longa variarum persequtionum serie contra falsas nostri æui hæreticorum historias, depræhendi poterit, quales hi nàm fuerint, qui Christum, & Romanam eius ecclesiam, Petri sedem, ac eius successores violare hactenus non dubitarint.

Herodes igitur, qui vitæ Christi omnium primus est insidiatus, fuit Idumeus genere: cui iura regni illius competere non poterant: siquidem ex generatione Iudæ is esse debuit, qui apud Iudęos regni moderaretur habenis. Sumpto veruntamen, occasione bellorum ciuilium, de manu Augusti Cæsaris diademate regio, nihil sibi prius duxit, quàm nato Christo (vt dixi) necem parare: & cùm nihil sua nequitia aduersus Christum proficere posset, infantium nihilominus plurimorum multitudinem crudelissi-

me obtruncauit. Prius verò cum Doſidem fœminam hyeroſolimitanam matrimonio ſibi copulaſſet, ex qua Antipatrum filiũm procreaſſet, captus interim amore alterius nobilis fœminę, Mariamnes nomine, corporis forma ſpecioſiſſimę, Doſiem vxorem abijcit, Antipatrum filium excedere domo ac tota vrbe iubet, Mariamnem ſibi matrimonio iungit, nuptiasq; cum noua nupta exilio vnici filij infauſtas celebrat. Et quàmuis Mariamnem deperiret Herodes, nihilo magis tamẽ Hircanus eiuſdem Mariamnes auus & Ionatas adoleſcens frater, ob fatuas regni aut certè nullas ſuſpitiones, impias illius Herodis manus euadere potuerunt. Porrò vtrumq; dilectiſſimæ alioquin vxoris agnatum è medio ſuſtulit impius Rex. Cui cùm ab vxore nõ ſemel obijceretur patrarum facinus in ſuos, haud graue fuit, & ipſam vxorem, obducta ficti adulterij ſpecie, necare. Cuius quidem Mariamnes mors hæreditaria odia patris in filios & filiorum viciſſim in patrem tranſmiſit. Nam Alexander, & Ariſtobolus eiuſdem Herodis ex enecata dudùm Mariamne filij imperio patris in ſebaſtem Ciuitate haud procul à Cæſarea vrbe ſtrangulati ſunt. Quo miſerabili Auguſtus

audito

audito parricidio, facetè dixit, ſe malle Herodis ſuem eſſe, quàm filium. Verùm his Herodes non contentus flagitijs ſathanico furore adhuc magis percitus, Feroram fratrem ſuum, & illis in partibus tetrarcham veneno ſuſtuliſſe, creditus eſt. Ita namq; in ſuos crudelis Herodes fuit, vt ei difficile non fuerit fratrem occidere, qui proprios filios potuit interimere. Nec ſatur adhuc domeſtico ſanguine Herodes quinto die ante ipſius obitum in vinculis detentum Antipatrum, ex Doſide prima vxore filium, miſſis percuſſoribus interfecit. Egrotabat autem ipſe Herodes prurigine intolerabili, quia totum illius corpus ſcatebat vermibus, febre vehementi, anhelitu graui, ſuſpirijs pernicioſis. Motibũdus itaq; animaduertens neminem fore Iudæorum, qui eius morte poſtea non gauderet, id præcauere volens, ex omni Iudæa conuocari quoſq; nobiliores iuſſit, vt de ſingulis vicis in vnum conuenirent omnes, quos includi intra hippodromum fecit: ſuiſq; Herodes mandatum dedit, vt vbi primum animam exhalaſſet, incluſos illos perimerent: ita enim futurum vt nulla domus in vniuerſa Iudeæ regione per eius obitum luctu caritura eſſet. Hunc vitæ finem

habuit

habuit Herodes Rex sæuus Christi tūc primùm nati persequtor.

Improba huic Herodi, sed patri similis, successit soboles. Porrò Archelaus testamento patris Rex in Iudęa designatus, sed Cęsaris imperio rector tantum propter immanissima eiusdē Archelai scęlera, non quidem Rex constitutus, nouem annos hæreditaria parentis imbutus per fidia, male Iudeis pręfuit. Quem & Christus postea ex Aegipto rediens in Iudęam adire timuit, & Augustus multis criminibus obnoxiū, multisq; adeò subditorum querelis delatum perpetuo damnauit exilio.

Matt.2.

Post Archelaum frater eius Herodes Antipas, & filius primi memorati Herodis Regis, tetrarcham Gallileæ egit. Hunc quoq; inter Christi persequutores euangelica commemorat historia: Cum enim Christus Herodem istum, & Pilatum ex inimicis inuicem amicos fecisset, illa ipsa nihilominus die ingratus impiusq; Herodes cum exercitu suo Christum spreuit, indutumq; veste alba illusit, & ad Pilatum remisit. Hic inquam Antipas pręcursorem Christi, Angelum Dei, Ioannem Baptistam, rectè monentem gladio percussit. Herodem hunc absimilem patri

Luc. 23.

aut

aut fratri in nequitia, & scęlere nequaquàm fuisse, Iudæorum docent Annales. Vxorem etenim Philippi fratris sui viuentis, Herodiadem nomine, in suam accepit: filios necauit: extraneos occidit: propinquos perdidit. Quippè hìc tetrarcha Antipas in ciues suos sicarius, in nobiles latro, in socios populator, in domesticos prædo, in humanum genus crudelissimus impostor & carnifex passim habebatur. Deniq; Romam vôcatus ac de criminibus multis cōuictus apud Lugdunum Galliarum vrbem à Caio Caligula Cęsare relegatus miserabili fine animam eiecit.

Persequtor identidem Christi fuit famosus ille latro, proditorq; cruentissimus, Iudas Iscariotes. Qui suę proditionis pœnas proprijs mani bus laqueo dedit, medius crepuit, & omnia eius viscera in terram fuerunt diffusa.

Fuerunt & Christi persequtores illi omnes, qui Christi Apostolos, cùmprimis autem Petrū Apostolorū Principem, & successores eius spreuerunt, magnis incōmodis affecerunt, aut aliàs re vel verbis violarunt. Sicuti enim Deus laudatur iu sanctis suis, ita læditur in ijsdem; propterea ipse inquit per prophetam: Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite

Ps. 150.

Ps. 104.

mali-

malignari. Et rursùm in ſacro Euangelio legi-
Matth. 20. tur: Amen dico vobis, quandiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis: & quã diu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Quare traditur de Diuo Petro, vt cùm Roma paulò ante eius martirium fugeret crudeles Neronis manus, Chriſtũ ſibi in via obuium factum: quem Petrus adorans ſic interrogauit: Domine quo vadis? cui Dominus, venio Romam iterum crucifigi. Quod intellexit Apoſto lus de ſua paſſione dictum. In qua erat paſſurus Chriſtus miſericordiæ contemplatione, & pietatis affectu. Et alibi Chriſtus ipſe diſcipulos
Luc. 10. ſuos alloquens inquit. Qui vos audit, me au-
Ioã. 13. dit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et iterum, qui accipit ſi quem miſero, me accipit. Et rur-
Matth. 10. ſum qui recipit vos, me recipit. Ideoq; perſequtores, vel contemptores ſacerdotum Chriſti, maxime verò Diui Petri & ſucceſſorum eius, quia paſtores ouium Chriſti ſunt, peculiariter
Matth. 16. à Chriſto ipſo conſtituti: deniq; & inobedien-
Ioã. 21. tes, qui non audiunt ſucceſſorem Petri: dicuntur eſſe contemptores Chriſti, & cum impio illo Rege Iudęorum Herode perſequtores partem habere. At cùm Chriſtus non ſolum in na-

tiuitate,

tiuitate, sed in omni eius vita & morte persequtoribus non caruerit: de his sequenti loco aliquid etiam dicere, reliquum erit. De cuius sanè morte Apostolus ille magnus sic scribit: Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua cõfiteatur, quia Dominus IESVS Christus in gloria est Dei Patris. Ad institutum redeo.

Ad Philipen. 2.

In Iudęam miserat eo tempore Tiberius Cæsar procuratorem suum Valerium Romanum Illustris Gracchorum familię. Qui primus apud Iudęos summum Pontificatum vendere cepit. Et cùm Pontifex ab se creatus displiceret, illo abrogato, alium subinde accepta pecunia substituebat. Deniq; Caypham hominem impium & scęleratum eadem, qua cæteros, auaritiæ labe Pontificem maximum is Valerius designauit. Cæterùm amoto postea per Tiberium Valerio, Pontius Pilatus, ex Lugdunensi Galliæ oppido oriundus, eidẽ procuratoris functioni in Iudęa fuit præpositus. Ab hisce igitur duobus, Cay-

pha Iudęorum Pontifice, & Pilato in Iudęa pro curatore, Iesus Christus vnigenitus Dei filius, & vera mundi atq; vnica salus, morti anno Tiberij regni duodeuigesimo inquissimè est traditus. Porrò Caypham vt vt scæleratum & impium, necisq; Christi auctorem præcipuum, de salutari morte ipsius Christi nihilominus prophetasse, consiliumq; dedisse constat: Voluit quippè Deus omnipotens ob solam virtutem Pontificij, quem gerebat, magistratus hunc Caypham prophetiæ dono minimè destitutũ. Propterea in consilio à Pontificibus & Pharisęis ad hoc coacto, post collatas hinc inde sententias, ille vnus Cayphas reliquis sic prophetauit dicens: Vos nescitis quicquàm nec cogitatis: quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo (quemadmodum profectò expediuit,) & non tota gens pereat. A quo sanè die prophetiæ nequissimi huius Pontificis cogitauerunt Iudæi interficere Iesum. Ideoq; in annotato loco scribit Apostolus Ioannes: Hoc autem à semetipso non dixit (scilicet Cayphas) sed cùm esset Pontifex anni illius prophetauit: & reliqua. Alter ergò, qui morti Christum tradidit, fuit (vt dixi) Pilatus Lugdunensis homo facinorosus in

Ioã. 11.

Iudęa

Iudęa Tiberij Cæsaris procurator. Etenim Iudæi parricidiales manus in Christum primi sanè iniecerunt & vitæ auctorem interficiendum ad Pilatum deduxerunt. At Pilatus & si Iudæorum efflagitationibus fuerit nō nihil reluctatus: morti tamen flagitiosus innocentem adiudicauit: quem reum minimè nouit. Sed quod attrocius est, Sanctum Dei esse Christum Iesum cùm ex miraculis, tum ex resurectione à mortuis Pilatus cognoscens: in illum tamen credere perfidus contempsit. Cuiusmodi rei grauissimum est testimonium (vt Aegesippus tradit) epistola ipsius Pilati ad Cæsarem suum in hunc scripta modū.

Pontius Pilatus Tiberio Claudio Neroni salutem.

NVPER accidit, id quod ipse probaui, Iudęos per inuidiam se suosq; posteros crudeli condemnatione punisse. Deniq; cùm promissum haberent patres eorum, ꝙ illis Deus mitteret de cœlo sanctum suum, qui eorum Rex meritò diceretur: & hunc se promiserit per Virginem missurum ad terras. Istum itaq;, me præside, in Iudęam Deus hæbreorum cùm misisset: & vidissent eum cæcos illuminasse: leprosos

Epistola Pilati de Christo ad Cæsarem.

mũdasse: paraliticos curasse: Demones ab hominibus fugasse: mortuos etiam suscitasse: imperasse ventis: ambulasse suis pedibus super vndas maris: & multa alia fecisse: omnisq; populus Iudęorum cum Dei filium esse diceret: inuidiam cõtra eum passi sunt Principes Iudęorum, & tenuerunt eum mihiq; tradiderũt, & alia pro alijs mihi de eo mentientes dixerunt, asserentes istum magum esse, & contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita esse: & flagellatum tradidi illum arbitrio eorum. Illi autẽ crucifixerunt eum, & sepulchro custodes adhibuerunt. Ille autem, militibus meis custodientibus, die tertio resurrexit. In tantum autem exarsit nequitia Iudęorum, vt darent pecuniam custodibus, & dicerent, dicite, quia discipuli eius corpus ipsius rapuerunt: sed cùm accepissent pecuniam, quod factum fuerat, tacere non potuerunt. Nàm & illum surrexisse, testati sunt se vidisse, & se à Iudęis pecuniã accepisse, & reliqua.

Hinc proindè haud obscurè liquet, Pilatum à cęde Christi, ab immanissimo sacrilegio, & ab incredulitatis perfidia immunem vlla in parte nequaquàm fuisse. Atquì non Pilatus modò hac sua epistola, sed & Iudæorum primi sua hi-

storia

storia Iesum fuisse Deum inuiti, & palàm sunt contestati. Scribit namq; Iosephus de resurrectione Domini, historiæ scriptor inter Iudęos celeberimus in hæc planè verba. Fuit illo tempore vir sapiens: si tamen oportet, inquit, virũ dici mirabiliũ creatorem operum, qui apparuit discipulis suis post triduum mortis suę viuens iterum, secundum prophetarum scripta: qui & hæc, & alia innumerabilia de eo plena miraculis prophetauerunt.

lib. 18. cap. 9.

Ex quo cœpit congregatio Christianorum: & in omne hominum penetrauit genus: nec vlla natio Romani orbis remãsit, quæ cultus eius expers relinqueretur. Et quæ inibi sequntur. Ad Neronem recurro. Illo eodem ànno, tredecimo nimirùm atq; nouissimo exercitę crudelitatis eius cùm à Senatu ad suppliciũ quęreretur in suburbanum liberti sui fugiens illic semetipsum Christi hostis iugulauit.

LINVS

LINVS P. M. ETC.

GALBA, OTHO, VITELLIVS. C.C.C. A.A.A.

SVB Pontifice Lino, qui vltimo Neronis anno ſedere in Petri ſede cœpit, regnarunt Galba, Otho, Vitellius, ineptiſſimi Romanorum principes: quibus demùm Veſpaſianus, Lino paſtore, ſucceſſit.

VESPASIANVS C. A.

EA tempeſtate conualuit in Iudæa rumor ciuilis Romani belli, de Galbæ, Othoniſq; nece manifeſtatus: ac de Vitellio ad Imperium aſſumpto, qui ſuperioribus nequior, quaſi fex reſediſſet, certa omnia, explorataq; erant. Vndè viri veteris militię probatisſimi, qui Veſpeſiano Duci in Syria & Iudæa merebant, inito conſilio, in Veſpaſianum ſummam Imperij Romani committendã ſtatuerunt. Cùm verò is oblatum munus ſuſcipere recuſaret: illi ècontra obnixius vrgerent, conſpicientes nimirùm periculum ipſis imminere

nere maximum, si eorum conatus irriti forent; coactus tandem fuit Vespasianus & minis & armis delatam à suis militibus imperij conditionem non detrectare. Suscepto proindè Imperio, nihil prius duxit, quàm Romam petere, & Iudęorum proteruiam, cum rebellione coniunctam, simul coercere. Quarè Titum filium Iudaico bellò pręfecit: ipse autem se Romam contulit. Fuit hìc Vespasianus vir domi forisq; bellica gloria clarus: vtpotè is, qui aduersus Germanos atq; Britanos tricies fœliciter pugnasset, & in Iudæa multa perstrenuè gessisset certamina. Vrbem itaq; ex omni parte deformem, moribus, ędificijs, & legibus ornauit. Clemens, munificus, iniuriarũq; immemor semper vixit. Qui tandem post annum sui regiminis decimũ quum dissenteria grauiter laboraret, erigi sursum è lecto voluit, quò stans (ipse aiebat) moreretur Imperator. Quod ita quoq; accidit: inter manus etenim subleuantium extinctus est. Sub hoc præclarissimo Rege atq; Cæsare quas impietatis eorum pœnas Christi persequtores in Iudæa dederint, non ab re erit, subtexere.

Anno itaq; Tiberij Cæsaris (vt supra tradidimus) decimo octauo quum Principes Iudæorum

rum

rum nihil magis, quàm Christi sanguinem, & dedecorosam illius mortem inuidiosè sitirent, reluctāte nonnihil Pilato in Iudæa Cæsaris procuratore, vniuersus Iudaicus populus coram ipso Pilato in has infaustas voces crudelissimè erupit dicens: Sit sanguis eius super nos, & super filios nostros. Vndè enecato tum in cruce Christo, corripuit iustus ille Christi sanguis parricidas Iudæos, & plusquàm parricidas, ac vniuersam eorum infœlicem infamemq; posteritatem iusto Dei iudicio prostrauit. Porrò abiens Romam Vespasianus Iudaici belli summam Tito eius filio commisit. Qui arctissima obsidione Hierosolimam, ad quam tempore Paschalis festiuitatis immēsa hominum multitudo ex omni Iudęa nuper conuenerat, cinxit: tandemq; fame, ferro, & postremo octauo die Septembris igne consumpsit: ac templum Salomonis in ea Vrbe Augustissimum penitus deleuit. Per obsidionis tempus vndecies centena millia hominum, quæ centum & decem myriades constituunt, perijsse, Iosephus illius gentis historicus, deniq; Aegesippus, tradiderunt: Captiuorum verò nonaginta septem millia, quæ adducta fuere. Tanta fuit prętereà captiuorum Iudaici

Matth. 27.

daici

daici nominis copia vilis, vt nūmismate vno triginta Iudæos Romani milites auidissimè venderent: Siquidem perpauci Iudęorum emptores vsquàm adessent. Extremam canum famē, ne dicam rabiem, perfida illa gens in toto eo bello passa est. Matres præ fame, sibi mactarunt atqȝ coxerunt filios: coctos nonnunquàm præsidiarius miles vi eripuit ac deuorauit. Iumentorum stercora, herbarum folia putrida, vetustæ paleę in plateis reperta, cibus Iudæis tum passim fuit. Pugnabatur inter domesticos pro cibo: Necabantur charissimi, excutiebantur defuncti, si quid fortè cibi intra illorum amictus reperiri potuisset. Aperto ore miseri, velut canes rabidi, auram captantes huc atqȝ illuc, inopia duce, circunferebantur. Coria scutis detracta mandebant. Calciamenra pedibus soluta, lingua lambebant. Miles interim Romanus vbi rerum est potitus, euisceratis viuentium Iudæorum innumeris intestina fœdè scrutabatur: num forsam aurum, gemmæ, & alia id genus speciosa, quæ Iudæi in ventre solebant ea tempestate sibi abscondere, inuenisset. Vlciscebatur tùm sanè Deus tantam Christo suo & saluatori nostro, iamdudum à perfidis illatam iniu-

riam: ſanguinem, inquam, Chriſti, quem antea impiè ſpreuerant, & contra ſe & eorum filios fuerant imprecati, tunc infœlices Iudęi ſentiebant, adhucq; indies etiamnùm ſentiunt. Perſequantur nunc Dei filium Iudęi ingentium beneficiorum immemores: irrideant illum: cõtemnant, negent, flagris multis cædant: in faciem eius conſpuant: cruci denique affigant ac interficiant. Barrabam latronem vinculis liberandum, ſanctum autem Dei, omnis boni auctorem, & Mundi Saluatorem turpiſſima afficiendum morte iam clamitent. Meritò igitur de huiuſmodi perſecutoribus acerbiſſimis conqueritur per prophetam Regem coram ęterno Patre Deo ipſe Chriſtus, verus Dei ſine macula agnus dicens: Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potauerunt me aceto. Proindè ſubijcit ſtatim Rex ſanctus: Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum: Obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua: Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ cõprehendat eos: fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit, qui inhabitet: Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt:

Pſ.68.

&

& reliqua. Vndè Christus ipse inter durissimos eius cruciatus & passionem prædixit ad vnguem ventura mala in hoscè sacrilegos parricidas Iudæos ad mulieres cōuersus inquiens: Filię Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete; & super filios vestros: quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quę non lactauerunt. Tunc incipient dicere Montibus: cadite super nos: & collibus, operite nos. Hunc itaq; exitum in hoc sęculo tulerunt: has nimirùm commeritas pœnas Romanis dederunt parricidiales Christi persecutores. At quæ dura illos & sempiterna apud inferos maneat pœna: ipsi viderint. Atquì posthac illos, qui de Christi sacerdotibus atq; Vicarijs malè meriti sunt, ira Dei omnipotentis quomodò iugiter corripuerit, omni ex parte operis nostri facilè dehinc quoq; constabit.

CLETVS P. M. ETC.

DOMICIANVS C. A.

DOMICIANVS Veſpaſiani filius, & Titi frater, à quo Pontifex Cletus Chriſti miniſter ſupplicio eſt crudeliſſimè adfectus, poſt patrem Veſpaſianum atq; Titum fratrem regno ſucceſſit. Is, Neronis exemplo, Chriſtianorum perſequtor fuit: qui ſanctiſſimum virum Ioannem Euangeliſtam, atq; dilectiſſimum Chriſti Apoſtolum in Pathmos inſulam relegauit, & plurimos alios Chriſto deuotos neci dedit. Homo nequam, primus nimirùm, qui dominus appellari & pro Deo coli voluerit. Cum muſcis bellum perpetuum in ſuo conclaui quotidiè geſſit: vt è cubicularijs quidam ſemel prodiens interrogatus à quopiam, quis cum Cęſare eſſet, reſponderit per iocum: nè muſca quidem. Poſtremò multis obnoxius criminibus in cubiculo à ſuis necatur, anno ętatis ſuę trigeſimo quinto, Imperij verò quintodecimo.

CLE-

CLEMENS PRIMVS P. M. ETC.

NERVA C. A.

CLementis primi tẽpore Nerua post Domicianum imperauit. Hic plusquàm septuagenarius integro anno rectè sapienterq; Regnum Romanorũ administrauit. Traianus autem filium sibi per adoptionem fecit: ac demùm cum laude obijt.

ANACLETVS P. M. ETC.

TRAIANVS C. A.

TRaianvs adoptiuus Neruæ filius, genere Hispanus, bonum Principem (nisi Christianis infensus fuisset) satis se præstitisset. Romani namq; Imperij fines longè lateq; propagauit. Germaniam transrhenanam iure quasi postliminij Imperio restituit. Daciam, & plurimos ad Danubium populos Romanorum regno addidit. Parthos in amicitiam recepit. Albanis Regem dedit. Armeniam, Assyriam, & Mesopotamiam prouincias fecit. Indiam vsque & Mare rubrum victor

fines

fines extulit. Enimuerò totam ſuiıpſius vitam, alioquì pręclaro Principe dignam, ſanctorum Clementis & Anacleti morte Chriſti perſecutor fœdauit. Perijt tandem diſſenteria poſteaquàm annos octodecim & ſex menſes regnaſſet.

EVARISTVS P. M. ETC

HADRIANVS C. A.

EVARISTI temporibus regnauit Hadrianus cognomento Hælius, à Traiano ceu filius habitus, ideoq; Romani Regni habenas poſt Traianum tenuit. Inter optimos ciuilis regni & hìc quoq; refertur. Qui, & ſi initio Chriſtianos præſſit, (ſanctum etenim Euariſtum Pontificem martirio conſumpſit) cauſa tamen dein maturius cognita, beneficus admodùm erga illos pœnitentia ductus poſteà fuit. Vtrãq; linguam græcam & latinam, Muſicam quoq;, & artem medicam excellenter calluit. De Romanis ac vniuerſo orbe præclarè meritus pontem ſui nominis atque ſepulchrum ſuper Tiberim magnificè in Vaticano extruxit. Quàm ſanè molem ſummi Pontifices Romani, pro arce deinceps habuerunt.

Hiero-

Hierosolymam à Tito dudum euersam mœnibus & ædificijs adeò restituit, vt locus, vbi filius Dei omnipotentis pro peccatis hominum fuit à Iudæis cruci affixus, Vrbi includeretur, Et ciuitatem Hæliam de suo nomine appellari voluerit. Ad hęc, iussit, ne quisquàm Iudæorum in eam ciuitatem posthac reciperetur: Sed tantum Christianis illuc pateret aditus. Rerum deniq; est potitus annos vnum & viginti.

ALEXANDER PRIMVS P. M. ETC.

ANTONINVS PIVS C. A.

PRAESIDENTE sedi Pontifice Alexandro huius nominis primo habenis Imperij moderabatur adhuc Hadrianus, cui est demum subrogatus Antoninus, qui ob eius pręclaras animi dotes cognomento Pius est dictus: Hadriani gener, & per adoptionem filius, annos vigintiduos, menses tres summa benignitate atq; clementia sapienter rexit Imperium. Dicere is solebat: se malle vnum ciuem seruatum, quàm mille occisos hostes. Cùm tiberis inundatio magna quandoq; publicis, priuatisq; ædificijs intulisset

ſet incommoda: ciues pro ædificiorum reſtitutione ſuo ſumptu liberaliſſimè iuuit. Reges permulti, nationes plurimę, ad Antonini nutum lites compoſuere.

SIXTVS PRIMVS P. M. ETC.

MARCVS ANTONIVS VERVS C. A.

DVm Chriſti Eccleſiam regebat Sixtus, Marcus Antoninus gubernabat imperium. Marcus iſte Antoninus Verus, cognomento philoſophus, annis octodecim rebus præfuit. Muſis & viris doctis eſt apprimè delectatus. Bellum contra Parthos ſuſceptum admirabili virtute, & fœlicitate vnà cum Lucio Aurelio Commodo fratre geſſit. Certarunt in illo doctrina, & benignitas: vt vix diſcerni potuerit, nùm doctior ille, an benignior fuerit. Philoſophiæ ſtudia à rebus bellicis ipſum retraxerunt nunquàm. Germanos, Marcomanos, Sequanos, Sarmatas, ingenti virtute armis ſuperauit: de quibus etiam triumphum ſplendidè habuit. Fuit in meritos liberalis. Tributa prouincijs quibuſdam remiſit,

Quem

Quem omnes ità passim dilexerunt, vt is sacrilegus planè haberetur, qui illius Cęsaris imaginem domi non haberet. Dein in Pannonia repentè quasi mortem obijt.

TELESPHORVS P. M. ETC.

COMMODVS C. A.

AD Telesphori tēpora regnauit Commodus Romanis valdè incōmodus. Hìc Commodus Marco Antonino Vero philosopho patri successit. Quo adhuc existente in matris ventre, per quietem mater ipsa videre visa est, ex se serpentes nasci. Patrem is bonum habuit, sed mores pessimos. Contra Germanos & Sarmatas, Christianorum militum opera fœliciter pugnauit. Cęterùm ad vrbem reuersus in gladiatorum ludo sæpissimè turpiter fuit. Plurimos senatores indicta causa necauit. Prouincias & administrationes vendidit. Tandem humani generis hostis habitus, strangulatur post annum eius Imperij duodecimum, & mensem septimum.

HIGINVS P. M. ETC.

HELIVS PERTINAX, ET DIDIVS IVLIANVS CC. AA.

CIRCITER Higini Pontificis tempora regnarunt Helius pertinax, & Didius Iulianus, Principes tum ſordidi, tùm & improbi: quorum prolixius meminiſſe haud decet.

PIVS PRIMVS P. M. ETC.

ANICETVS P. M. ETC.

SEVERVS C. A.

SEVERVS Aniceti Pontificis, & prædeceſſoris eius, necnon & aliorum quorundam ſucceſſorum tempeſtate rerum Romanarũ dominabatur. Fuit autem origine Afer, Chriſtianorum ſæuus poſt adeptum regnum extitit perſequtor. Vir grçcè & latinè doctiſſimus. Qui vel à teneris, vti conſtitutus Iudex, inter pueros ludentes iudicauit.

dicauit. Natura admodùm parcus & sæuus fuit. Rempublicam fortissimè atq; laboriosè gubernauit. In victu parcus: in vestitu exiguus. Parthos & Arabes interiores bello deuicit. Postremò in Britania confectus senio & morbo, posteaquàm regnasset annos octodecim, moritur relictis post se gemina sobole, Basiano, & Getta, filijs. Nouissima eius verba fuerunt huiusmodi: se relinquere filijs firmum Imperium, si boni forent: imbecillum autem, si mali.

SOTHER P. M. ETC.

ELEVTHERIVS P. M. ETC.

VICTOR PRIMVS P. M. ETC.

ZEPHERINVS P. M. ETC.

CALIXTVS P. M. ETC.

ALEXANDER C. A.

CALIXTI Pontificis diebus præcesserant multi principes à rebus malè gestis illaudati, vt Caracalla, Macrinus, Heliogabalus: cui & Alexander Mãmeæ filius successit. Hìc Christiana matre natus

ſapientiſſimè aliàs rexit Imperium : niſi Pontifici Calixto vſque ad necem infenſus fuiſſet. Habuit autem à conſilijs Iulium Frontinum, Vlpianum, & Paulum, Viros doctiſſimos Iurecōſultos. Diſciplinam militarem labefactatam ſæuerè reſtituit. Statuas magnorum virorum vndiq; conquiſitas in foro locari fecit. Templum Chriſto ędificarę, & ipſum inter Deos referre, animus illi fuit. Chriſti veruntamen imaginem, & Abrahæ in laribus ſuis habuiſſe fertur. Dicere is eſt ſolitus : Alteri non feceris, quod tibi fieri non vis. Militari dein ſeditione apud Moguntiam interficitur, poſteaquàm annos tredecim Romanis rebus præfuiſſet.

VRBANVS PRIMVS P. M. ETC.

MAXIMINVS C. A.

MAXIMINVS immenſa corporis proceritate, obſcuro loco in Thracia natus, belli artibus Imperium, præter ſenatus voluntatem, adeptus, propè Aquileiam ciuitatem illud idem cum vita & filio poſt triennium amittit. Hìc pietatis expers Chriſtianorum extitit hoſtis.

PON-

PONTIANVS, ANTHERVS PP. MM. ETC.

GORDIANVS C. A

GORDIANVS ætate octuagenarius, & filius eius nomine identidem Gordianus ex consulari dignitate ad Regni Romani munus eodem tempore fuerunt delecti. Iunioris principis, qui patri superuixit, præcipua laus fuit, quòd circiter sexaginta duo millia librorum in Bibliotheca habuisse dicitur.

FABIANVS P. M. ETC.

PHILIPPVS C. A.

PHILIPPVS, primus Christianus Imperator, vnà cum Philippo filio annos quinque imperat. Cùm autem ambo infensissimi essent Decio, & Gazam suam atq; thesauros summo Pontifici Fabiano tradidissent: opera ipsius Decij diuersis in locis vterq; eorum fuit interemptus.

COR-

CORNELIVS P. M. ETC.

DECIVS C. A.

REGNAVIT impius ſub Cornelio Põtifice Decius, inferiore Pannonia oriundus: qui interfectis ambobus Philippis, regnum occupauit. Impietate animi atque crudelitate famoſus fuit hìc nequam princeps. Exárſit ira & odio in Chriſtianos. Qui ſeptimam vel octauam potius ſub hoc crudeli perpeſſi fuerè cladem. Filium ſuum ſibi in Imperio adiunxit: & Gothico bello, vbi biennium, vel vt alij tradunt, ſedecim annos regnaſſet, extinctus eſt.

LVCIVS PRIMVS P. M. ETC.

GALLVS HOSTILIANVS, ET VOLVSIANVS FILIVS CC. AA.

GALLVS Hoſtilianus, & Voluſianus eius filius, Imperatores creati nihil memorabile toto illorum principatu geſſerunt. Maxima tum peſtilen-

tiæ lues vniuersum propè orbem, ob sanguinē sanctorum (vti creditum est) martirum ab hiscè principibus effusum, crudelissimè inuasit.

STEPHANVS PRIMVS P. M. ETC.

VALERIANVS C. A.

VALERIANVS vnà cum Gallieno filio Imperium à cędibus Christianorum immanissimè auspicatus, à sapore Persarum Rege in Mesopotamia bello superatus captusq; fuit. Gallienus verò Mediolani suorum scælerum pœnas capite luit.

SIXTVS SECVNDVS P. M. ETC.

CLAVDIVS SECVNDVS C. A.

CLAVDIVS secundus Imperator consalutatus, Gothos, Illiricum, Macedoniamq; depopulantes incredibili clade superauit. Ducenta millia Germanorū haud procul à lacu Benaco in silua, Lugana dicta, tāta vi fudit, vt vix dimidia hostium

pars

pars ſuperfuerit. Sed illi ante biennium ſui Imperij defuncto ſucceſſit eius frater Quintilius, magnę vir moderationis.

DIONISIVS P. M. ETC.

AVRELIANVS C. A.

IMPIVS infamisq́; Aurelianus tyrannidem ſuam Dioniſij ſancti Pontificis tempore exercuit. Is Dacia Ripenſi oriundus Gothos apud Danubium ingenti prælio deuicit. Zenobiam fœminam, quæ, occiſo marito Odenacho, orientis tenebat Imperium, non longè ab Antiochia debellauit. Quam & in triumpho etiam duxit: Crudelis hìc verũtamen erga Chriſtianos fuit. Vixit in regno annis ſex.

FOELIX P. M. ETC.

TACITVS, FLORIANVS CC. AA.

TACITVS, Imperator renunciatus, virture & integritate plurimùm valuit. Thermas omnes ante lucernam claudi

iuſſit:

iussit: ne qua seditio per noctem oriretur. Cornelij Taciti eximij historiæ scriptoris imaginem in omnibus bibliothecis collocari præcepit. In senectute validior fuit, quàm in iuuentute. Vxorem gemmis vti, non est passus. Ipse autem ijsdem togis & tunicis vestitus incessit, quibus antea priuatus. Ob temporis verò breuitatem nihil in regno memorabile gessit.

Florianus Taciti frater post fratris obitum arripuit sibi indignè, velut hæreditario iure debitum, Imperium: cùm tamen sciret, in senatu pridem iuratum fuisse: nè ea res hæreditario iure cuiquàm permitteretur.

EVTYCHIANVS P. M. ETC.

PROBVS, CARVS CC. AA.

PRobvs Romanorũ Imperator, Pannonia oriundus domi, forisq; conspicuus, nomini, quod gerebat, pręclarè respondit. Gallias à Barbaris occupatas ingenti fœlicitate liberauit. Tyrannos multos, imperio valdè noxios, deleuit. Interficitur & ipse à militibus suis tandem in patria post annum eius regni sextum.

Carus duos eius filios, Numerianum & Carinum in regno ſibi adiunxit. Cæterùm bello Perſico fœliciter confecto, in Caſtris apud Tigrim fluuium fulmine ictus concidit. Numerianus verò adoleſcens, qui cùm ipſo patre erat, in lectica rediens inſidijs Apri occiditur. Carinus autem omnibus probris contaminatus à Diocletiano apud Dalmatas victus ſcælerum ſu orum pœnas luit,

CAIVS P. M. ETC.

DIOCLETIANVS C. A.

SCELERATVS ac ſęuus in Chriſtianum ſanguinem Dalmata, cui Diocletiano nomen fuit, Imperator ab exercitu ad Caij Pontificis tempora eſt conſalutatus. Aprum iſte ſua manu interemit. Fuit Diocletianus aſtutus, & ingenio ſolertiſſimo, qui etiam non ſalutari, vt anteà, ſed adorari voluit. Ipſe Eccleſias Dei in oriente, & Maximianus, quem ſibi Imperij ſocium, hominem ferum & aditu difficilem, aſciuerat, in occidente deſtrui, & Chriſtianos interimi curarunt. Tandem ambo poſt vigeſimum Regni

annum

annum priuatam vitam, depositis Imperij fascibus, agentes malo fine perierunt.

MARCELLINVS P. M. ETC.

CONSTANTIVS C. A.

CONSTANTIO & Gallerio Cęsaribus creatis, Romanus orbis inter ipsos est diuisus. Porrò Gallerius Illiricum, Asiam,& orientem est sortitus. Constantius verò modestia vsus Gallia tantum & Hispania est sponte sua potitus. Fuit Constantius Claudij secundi ex filia nepos. Qui secundam duxit vxorem, nempè Hęlenam captiuam, Anglorum Regis filiam. Ex qua Constantinum suscepit: de quo sanè Constantino plura haud multò post scribemus.

Gallerius militari gloria conspicuus, duos sibi Cęsares adiunxit, Sęuerum & Maximianũ: Sæuero Italiam, Maximiano autem orientem credidit.

Licinius Dacia oriũdus à Gallerio in partem Imperij, ob rei militaris peritiam, adscitus, à Constantino Hęlenæ memoratę filio mari terraq; superatus, tandem occubuit.

MARCELLVS PRIMVS P. M. ETC.

EVSEBIVS P. M. ETC.

MELCHIADES P. M. ETC.

MAXENTIVS C. A.

MAxentivs, vir omni ſæuitia & crudelitate imbutus circiter Melchiadis ſanctiſsimi Pōtificis tempora regnauit. Qui & Chriſtianos acerbè excruciauit. Inter alia eius crimina magicis artibus plurimùm eſt delectatus. Cæterùm à pręfato Conſtantino Cōſtantij & Hęlenæ filio vi, & armis ſtrenuè ſuperatus, ſuæ crudelitatis pœnas meritò dedit.

SYLVESTER PRIMVS P. M. ETC.

CONSTANTINVS MAGNVS C. A.

SVb fœliciſſimo ac Beatiſſimo Pontifice Syluestro Conſtantinus, cognomento Magnus, Conſtantij Cęſaris ex Hælena filius, vniuerſi orbis amplexu-

plexurus Imperium, Maxentium, Licinium, Maximianum, qui sese pro Imperatoribus gerebant, vi atque armis in crucis signo fortiter superauit. Desijt tempore huius præclari Principis sæuitia Tyrannorum in Christianos, Syluester summus Pontifex, relicto Soracte monte, vbi hactenus latuerat, Romam redijt, ibiq; Cõstantinum vnà cum Crispo filio, alijsq; pluribus, nec non & Helenam Constantini matrẽ salutari aqua Baptismi Christo addixit. Is Constantinus in bellum profecturus non alio quàm crucis signo, pro vexillo est vsus. Crucem enim sereno cœlo per quietem viderat, quando in Maxentium copias duxit: eamq; adorauerat, adstantibus, vt certò fertur, Dei angelis, qui dicerent: Constantine, in hoc signo vinces. In Concilio Nicæno dùm Clerici & Episcopi se se inuicem porrectis Cõstantino querimoniarum libellis, accusarent: ipse, consumptis igne libellis, respondit: eos Dei tantummodò, & non hominis iudicium expectaturos. Dein benè meritus de Ecclesia Christi, deq; Syuestro Pontifice Maximo, cui relicta Roma cum magna Romani Imperij parte, magnisq; ac regijs concessis opibus, Bizantium se contulit: vbi Con-

stantino-

ſtantinopolim de ſuo nomine Vrbem condidit. Quam & ſecundam Romam appellauit. Bellũ nouiſſimè contra Parthos, qui Meſopotamiam vexabant, moliens, in villa quadam ſuburbana Nicomediæ Ciuitatis religioſiſſimè obijt, anno ſuę ętatis ſexto & ſexageſimo, Imperij verò vno & trigeſimo. Quamuis non defuerint fabulatores (quò magis ſuas viris mortalibus hæreſes comprobarent) hęretici, qui illum falsò ſcripſerint, Arrianæ participem hęreſis diem functum,& ab Euſebio Nicomedienſi pſeudò Epiſcopo ante mortem rebaptizatum fuiſſe.

Iam verò de Romanæ Eccleſię opibus regijs, quas Syluestro (vt dixi) Cõſtãtinus dedit, potentia,atq; diuitijs pauca diſſerere,loci me huius inuitat opportunitas,hęreticorũ prouocat ſumma in ipſis diuitiarum cupiditas, & pia officij noſtri vrget neceſſitas. Mirantur ſanè multi: Cur ſummus Pontifex Romanus Chriſti in terris Vicarius regias poſſideat opes: quum ipſe Chriſtus in paupertate naſci, viuere, atque mori voluerit. Proindè diuitias Chriſtus ipſe appellat ſpinas: & eas obeſſe homini, cœleſtis regni cupido,adfirmat: quia diues difficile intrabit in regnum cœlorũ. Ob id noſtro æuo hęretici ſummis

Matt.13 Mar.4. Luc.8. Matt.19 Mar.10.

mis

mis solent sępè & multum oblatrare Pontificibus Romanis. Atquì mala omnia, quæ in Ecclesia & republica accidunt, huic diuitiarum causæ penitus adscribunt. Perindè ac si ex ijsdem opibus Deo templa, sanctis imagines, sacerdotibus victus, pauperibus eleemosinę, eruditis necessaria in faciem totius orbis non exhiberētur atque administrarentur.

Cum itaq; aliàs in Syluestro donationē hanc, siue concessionem bonorum Romani Imperij certo certius factam per Constantinum Papæ Syluestro fuisse, iureq; valuisse, perspicuis testimonijs demonstrauerim: nunc autem regias illas opes Ecclesiæ Romanę nō modò vtiles (Cabusum diuitiarum non ideò probans) sed per necessarias esse, ac orbi etiam Christiano admodùm salutares, planè indicabo.

In libro Pontificum.

Christus Iesus Dominus & saluator noster, vnigenitus Dei omnipotentis filius, vniuersorum hæres à Deo ipso constitutus, discipulos suos, quandoq; alloquens dixit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Et rursùm alibi: Potestatem omnis carnis à Deo Patre sibi datam adseruit. Vt hinc manifestè constet, hanc Christi potestatem & regnum in cœlo & in terra

Ad hebr. 1.

Matt. 28

Ioā. 17.

ra ampliſſimum non proficiſci de hoc mundo, ſeu nō hinc deſcēdere ex aliqua poteſtate mundana: ſed deſuper, hoc eſt, à Deo huiuſmodi poteſtatem & regnum vniuerſorū Chriſto obueniſſe. Quàm ſanè maximam poteſtatem & Imperium noluit multis de cauſis Chriſtus primitiuæ Eccleſiæ temporibus (præterquàm in miraculis edendis, & peccatorum remiſſionibus) magnoperè exercere.

Inter cæteras verò cauſas (ſalua ſemper meliore deliberatione catholicę Ro. Eccleſiæ, cui me, meaq; omnia lubens ſemper Subijcio) illę non videntur fuiſſe poſtremæ: quòd Euangelio tantum (non opibus) miraculis, & prædicatione prima Eccleſię ſuæ fundamenta iacere Chriſtus potiſſimùm voluit. Neque etiam opes regiæ Chriſto tum vſui aut neceſſariæ fuiſſent: ſiquidem ædificationem Eccleſiæ ſanctæ, non à Regibus huius mundi vel principibus, qui forſan pro Chriſto pati ęgrius voluiſſent, ſed ab humilis conditionis hominibus diuino conſilio eſt auſpicatus. Et quàmuis pecuniam habuerint cum Chriſto diſcipuli, qua ſibi cibos emerent: attamē ea pecunia pro neceſſario duntaxat vſu fuit. Nàm vbi maioribus abundabāt pecunijs, illas

Mar. 16. Matth. 4. 10. 24. Pſal. 18. Ioan. 4. 12. Matt. 26. Mar. 14

illas pauperibus erogabant. Cæterùm posteaquàm Christus prima Ecclesiæ fundamenta iecit, Petro dixit: quia tu es Petrus (id est, quia palàm confessus es, Christum me esse filium Dei viui) ideò tibi Petro dico: quòd super hanc Petrum ędificabo Ecclesiam meam, & portę inferi nō prępualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum, & reliqua. Vndè Christus loquens de ædificatione Ecclesiæ sanctę cum ministerio videtur loqui per verbū futuri temporis, ędificabo: quasi dixerit: non solùm ego hactenus ieci fundamenta Ecclesiæ meæ: sed adhuc ædificabo, idest ero vobiscum vsquè ad consumationem sęculi ædificans iugiter Ecclesiam meam super hanc nimirùm solidam Petram, quæ Petrus est cum successoribus eius.

Matt. 16 c. Ita Dominus noster, & ibi glos. 19. dist.

Matt. 28

Cùm igitur Christus omnibus diebus nobiscum manens, nunquàm intermittat ædificare Ecclesiam suam: sicq; pulsare corda nostra stans ad ostium: vbi tempore Constantini Magni cępit pulsare corda Principum, Regum, & Imperatorum: illiq; Reges nomen suum Christi albo dederunt, & Christi oues facti sunt: ad curam identidem & custodiam pastoris, & Vica-

Apoc. 3.

Luc. 12.

Ioã. 21.

rij Christi in terris tum pertinere ijdem Reges ex præcepto Christi cæperunt.

Enimuerò regias pascere & custodire oues, non solùm euangelij prædicatione est opus (quod nihilominus sedulò summi Pontifices Romani nunquàm non omni tempore præstiterunt, vti Diuus Petrus fecit cum Centurione Cornelio, Alexander primus cum Quirino Romæ Tribuno, Sixtus primus cum Gallorum regno, Calixtus cum Palmachio consule, & Simplicio senatore, memoratus hìc Syluester cum Imperatore Constantino, Gregorius magnus cum Angliæ Regno, Gregorius secundus cum Germaniæ Principibus cunctis, ac alij in hunc vsq; diē Pontifices Romani cum alijs faciunt, fecereq; Regibus quàmplurimis) sed etiam còertio pastoralis, & regius baculus ad eam rem pernecessarij sunt. Porrò istud pascendi officium in sacris literis multò latius patet, quàm sit simplex sacerdotis ministerium. Pascere enim est regere: & pastores vocantur Reges: sicuti Dauidem regem Deus vocat sui Gregis pastorem: & Cyrus Rex pastor dicitur: & Christus ipse de iudicio summi omnium Regis per comparationem Pastoris ouium loquitur.

In actis Apost. cap.10.
in lib. Pontif. Roma.i.
Ezec.34
Esa. 44. in fin.
Hier. 2. & 22.
Matt.25

Ideoq;

Ideoq; si Rex quispiam, (sicuti etiam priuatæ sortis homo) qui ad Gregem Christi pertineret, Imperator, aut alius quiq; Princeps discolus esset, ouis à reliquo grege per deuia oberrans: à Vicario vtiq; summi Regis Christi, pastore ouiũ constituto, omni conatu, & opportunis remedijs in viam, nè periret, ad gregem Dominicũ (sic ipso iubente Christo) reduci deberet. Aut quid si Rex aliquis vel Imperator recederet à cõmunione ecclesiæ, ab vnitate illa, quam nobis Christus tantoperè commendauit, & ceu profugus ad hæreticas de religione confugeret opiniones? sanè hìc pastor, siuè successor eius, cui oues suas Christus commisit, talem etiam infectum Regem (verius lupum) coercere, pastoraliq; regio baculo à dominico grege fugare, & quibusq; medijs cohibere omnino deberet. Atquì vel Cęsaris iudicio huiusmodi hęreticus Christiano nomine foret planè indignus: & nè morbosa facta ouis totum corrumperet Christi ouile, regno etiam vel imperio ab ipso ouium Christi pastore esset penitus exturbandus. Alioquin Papa Romanus, Christi in terris pastor & Vicarius, oues illius regni non pascere, sed oppidò negligere diceretur. Vult enim Deus om-

Matth. 9 19. *Mar.* 6. *Ioã.* 10. *Ezec.* 34 *Ioã.* 17. *Ioã.* 10. *l.* 1. *C. de summa trinit. et fid. cath.* *Ezec.* 34

nipotens (si populis non sit iratus) malis Regibus adimi regna, & bonos præfici ouibus suis. Iubet inquàm Christus, malos separari à bonis: & asserit, officium esse pastoris, oues separare ab hædis.

Matt. 15 25.

Has nimirùm ob causas summi Pontifices Romani Stephanus secundus & Leo Tertius Imperatores Constantinopolitanos Romano olim priuarunt imperio. Quam sanè Imperij priuationem à summis illis Pontificibus sic factam, in hunc vsq; diem summoperè probant in vniuersum cùm orbis Christiani homines, tùm maximè Germani omnes, eorumq; Principes atq; Reges. Quorum etsi sectarij vel hæretici sint fortè nonnulli: nihilominus tamen eam illi identidem Imperij priuationem iure à Papa factam volentes nolentes profitentur, mordicus tuentur, reuerenter (mirùm dictu) vel inuiti suscipiunt, atquè collaudant. Sin autem à Papa Romano, Petri successore, & ouium Christi pastore constituto, illam Romani Imperij translationem è Græcis ad Carolum Magnum, & subindè ad Germanos iure factam, aut fieri potuisse, negarent hæretici: vtiq; Germano Cęsari titulos Ro: Imperij falsò tribuerent: septemuirosq;

c. Venerabilem. de electi.

rosq; Principes electioni Romanorum Regis in Imperatorem posteà promouendi, à Gregorio Quinto olim ordinatos, sua negatione protinus abrogarent: Siquidem turcicus Princeps, qui dudum Græcorum inuasit Imperium, Romani etiam imperij titulos (quod absit) & iura simul occupasset. Ad institutum redeo.

Quid prætereà quæso, si Rex vel Imperator non esset quidem hæreticus, sed impiè aliàs viueret, Deum non coleret, nec timeret, subditos vectigalibus exactionibusq; nimijs opprimeret, aliorum vxores, aut matres, filias, vel sorores stupraret, Christos Dei, sacerdotes vexaret, res ecclesiasticas occuparet, vicinorum bona raperet, & alia id genus scandali plena, nullum faciens pœnitentiæ locum patraret? nunquid correctio huius ad pastoris officium, Petri successoris, spectaret? certè ex anteà recensitis (nè oues Christi oppressas pastor negligere diceretur) spectaret. *Ps.104.*

Ad hęc, si vecors aliquis, amens, & ignauus adhuc de summa & latissima in cœlo & in terra potestate Papæ, deq; certitudine verborũ Christi hæreret: consulat vniuersi orbis Christiani ab immemorabili tempore citra obseruatum hạc *Matt.16*

de re vſum, obſeruatam inquam interpretationem. Optima eſt enim (legislator ait) legis dubię interpres conſuetudo: in re namq́; dubia (ſi modo hæc, quam agimus, dubia eſſet, ſicuti non eſt) eo nos iure vti oportet, quo ciuitas retrò vſa fuit. Enimuero Papa Romanus, Petri ſucceſſor, & Chriſti Vicarius, poſteaquàm Reges Mũdi, Principes, & Imperatores albo Chriſti nomina dederunt, ouesq́; Chriſti facti ſunt, nunquàm non reges creauit: Imperatores conſtituit · illos propter eorum exceſſus, regno, vel imperio quandoq́; deiecit: Regna, Principatus, Imperia, & titulos de vno in alium (vbi res poſtulauit) haud rarò tranſtulit: & etiamnùm ſi vſu ueniret, & in æternum poſthac (annuente Deo) ſuo iure faciet. Quoniam minimè ſunt mutanda, quæ legem certam iugiter habuerũt. Meritò ad hoc ampliſſimum paſtorale regium munus implendum, opus eſt regijs opibus, & paſtorali baculo identidem regio: ſine quibus oues Chriſti, regias præſertim, paſcere (vti experientia quoquè docet) atquè regere paſtor certè nequiret. Cõtemnerent alioquì Paſtorem oues (quinimò ſerpẽtes quãdoq́; potius quàm oues) & nullo pacto regi (quemadmodum oportet) poſſent.

l. ſi de interpretatione. ff. de legib.

l. Minimè ſunt mutãda. ff. de legi.

possent. Neque Pastor oberrantem regiam (vtinam non leoninam etiam) ouem quærere, & inuentam ad ouile adducere, vel incorrigibilẽ ab ouili, ex pręcepto Christi, planè separare valeret.

Deniquè respondeant quæso obtrectatores opum *R*omanæ sedis: cùm hiscè turbulentissimis sęculis (vt alios immensos sumptus Ecclesiæ rebus pernecessarios mittam) Christianum orbem, *R*omanum Imperium, *R*eges innumeri atq; Principes inter se minutatim diuiserint, ne dicam, repuerint: vt nemo eorum iam solus (de Germanis pręsertim, Italis, atq; Gallis loquor) Turcico hosti resistere uiribus queat: neq; hi tàm simul consentiant, vt maximè inuicem quoq; discordent: Quis rogo, opem bellicam aduersus hostis impetus suppeditabit? Quis Principem Christianum seditionibus plerumq; subditorum periclitantem iuuabit? Quis, inquam, in vnum placitum & pacis fædus contra turcica arma diffidentes Christianos Principes coget, & coactos ære & milite iuuabit? Alius certè in toto orbe Christiano nemo, quàm Pontifex *R*omanus, rei Christianę pater, Christi in terris Vicarius, & vniuersi gregis dominici Pa-

stor

ſtor conſtitutus. Aetate mea (vt ſuperiorum tẽporum innumera exempla taceam) vidi adhuc iuuenis Paulum tertium Põtificem Maximum, ingenio & pietate ſummum, quem inclita Farneſiorum familia nobis peperit, magnam expeditiſſimorum militum Italorum manum vnà cum nepotibus ſuis ſummè caris Carolo Quinto Imperatori inter omnes, qui vllo vnquàm ſęculo fuerint, alioquì eximio, de honore tum, imperio, & vita ſimul seriò periclitanti aduerſus Smalchaldicæ coniurationis ciuitates germanicás, rebellesq; Principes in Germaniam ſummiſiſſe, Cęſaremq́; ipſum, ac totum deniq; Imperium maximis tùm periculis eo Pontificis auxilio fuiſſe liberatum. Vt etiam ſublimis illa, & glorioſa Auſtriaca ſoboles tanti Romanæ ſedis & Farneſianæ domus accepti beneficij immemor etiamnùm, vel in omne æuum eſſe nequaquàm vel poſſit aut debeat. Poſteriore ſubindè tempore Pius Quintus Pontifex omnibus ſęculis ſuſpiciendus atq; memorabilis, & longè maximus ampliſſimum Galliarum regnum ingenti periculo propter validiſſimas hæreticorũ factiones; expoſitum, Carolo Regi, ſumptibus Romanæ Eccleſię, militaribus etiam copijs eò trãſmiſſis,

missis, planè restituit. Et rursùm idem verè Pius Pontifex Principibus Venetis, qui summis difficilisq; tùm cū Selino turcico Principe irato implicabantur negocijs, magno consilio, re, & ære Ecclesiæ Romanæ salutem attulit. Regem etenim Hispaniarum Philippum orbis Christiani nostro sęculo decus, & eximium propugnaculum, sociam naualis expeditionis cōtra bellicosam & frequentem Selini classem, multo labore, maximisq; conatibus solus Pontifex Pius Venetis adiunxit. Quibus & ipse omnibus auxiliares copias, plurimas triremes, & instructissimas Pius pater addidit: vt indè Venetis parta salus, Selino autē hosti talis ingens naualis clades fuerit illata, qualis ante hac nullo sæculo vsq; terrarum, vel pelagi, aut gentium cuiquàm acciderit. Desinant proindè maledici opibus Romanæ Ecclesiæ latrare regijs: quę non solùm vtiles valdè, sed & maximoperè sunt rei Christianæ pernecessariæ.

✠

MARCVS P. M. ETC.

CONSTANTIVS, CONSTANTINVS SECVNDVS, ET CONSTANS. CCC. AAA.

MEMORATI tres Cæſares fratres, qui Conſtantino Magno patri degeneres ſucceſſerunt, Imperium vnà cũ Dalmatio filio fratris Cõſtantini Magni, inter ſe quatuor diuiſum, aut potius laceratum malè gubernarunt. Porrò Dalmatius præclarè indolis Adoleſcens factione Cõſtantij è medio fuit ſublatus. Conſtantius ipſe Arriana lue infectus Catholicos fideles magnis cladibus eſt perſequtus: demùm appoplexię morbo poſt omnium fratrum ſuorum fata correptus interijt. Cõſtãtinus inter fratres natu maior apud Aquileiam cum fratre Conſtantio bellum ciuile inconſultius gerens interfectus eſt. Conſtans autem Magnetij fraude non procul ab Hiſpanijs fuit & ipſe tandem necatus.

DA-

DAMASVS P. M. ETC.

IVLIANVS, IOVINIANVS, VALENTINIANVS, VALENS. CCCC. AAAA.

IVLIANVS ex Constantini magni fratre Constantio genitus, viuo adhuc & grauiter ferente patre Constantio Imperatore, Cęsar in Gallijs à militibus est consalutatus. Quarè appoplexia haud multo post Constantio Imperatore defuncto, is regnare cæpit. In apostasiæ crimen incidit Iulianus iste, qui anteà fuerat clericus. Græcè & latinè doctissimus fuit: sed Christianos magna fraude & dolo est ad extremum vsquè suæ vitæ persequtus. Illis porrò interdixit publicè scholas, quò in doctrina & Euangelio Christi non possent institui: existimans nimirùm (id quod perfacilè contigisset, si res humano pensetur cõsilio) eruditione summota, religionis doctrinã mox interituram. Nouissimè quum in Persiam esset profectus, in solitudine quadam gladio est letaliter confossus. Verùm ex illato vulnere, appræhenso manu cruore suo, illoq; in altum pro-

iecto, dixiſſe fertur: Viciſti tandem Gallilæe: Chriſtum ipſum ea voce ſignificare volens. Cũ hoc apoſtata Iuliano Imperij Romani moderatio deſijt in Conſtantini domo.

Iouinianus genere Pannonus poſt Iulianum apoſtatam Imperator à militibus nominatus, non prius Imperatorem agere voluit, quàm milites omnes acclamarint, ſe Chriſtianos eſſe: ſed menſe ſeptimo nõ procul à Galliciæ finibus noctu repente obijt.

Valentinianus & ipſe identidem Pannonia oriundus fratrem Valentem in Imperij conſortẽ accepit. Is Valentinianus quum militaret olim apoſtatæ Iuliano, ob Chriſti fidem & nomen, militia miſſus fuit. At Deus omnipotẽs id, quod propter eum amiſerat, haud multò poſt longè auctius, & honorificentius ei tribuit: ſiquidem ſublato Iuliano, & defuncto Iouiniano, ad Imperij culmen eum vocarit. Valens autem Imperij conſors, & Arrianæ perfidiæ penitus addictus Chatolicos Chriſti fideles pellit, inſequitur, & mactaſſet quoq;, niſi fratris Valentiniani auctoritate repręſſus fuiſſet. Deniq; Valentinianus ipſe rebus geſtis Imperator pręclarùs, & bonus, in Pãnonia correptus repẽte appoplexia ſtatim moritur.

Valens

Valens ergò defuncto fratre, Imperium per omnes nequitię gradus malus, in oriente rexit. A Lucio Constantinopolitano Episcopo & hæretico iterùm fuit baptizatus. Qui Catholicis etiam in hęremo degentibus nequaquàm pepercit. Promulgato edicto Monachos militare voluit: alioquin nolentes fustibus iussit interfici. Tandem Gothi sedibus suis pulsi dum sese per omnem Traciam diffundunt, à Valente prohiberi minimè possunt. Sed ipse Valens sagitta confixus in casulam quandam mortiferè sauciatus se contulit: quò vbi superuenerè Gothi, supposito igne domunculam vnà cum Valente cremarunt.

ANASTASIVS PRIMVS P. M. ETC.

GRACIANVS C. A.

GRACIANVS Valentiniani senioris filius sanctæ Religionis Christianæ amans, per omnia princeps bonus fuit. frętus Christi Saluatoris nostri potentia, triginta Alemanorum millia apud Argentinam parua militum manu, nulloq; Romanorum detrimento, vno prælio interfecit.

Per

Per illud tempus ſanctus Ambroſius ad curam Eccleſię Mediolanenſis eſt aſſumptus: & vniuerſa tùm Italia in puritate fidei Chriſtianæ refloreſcere cępit, catholicorumvè templa, quæ iacebant, Graciani opera ſunt reſtituta. Deniq; annos ſex quum imperaſſet, cunctaq; præclarè confeciſſet, occiditur à Maximo Britannię Tyranno apud Lugdunum.

INNOCENTIVS PRIMVS P. M. ETC.

THEODOSIVS PRIMVS C. A.

THEODOSIVS ſenior, Graciano ſublato, vndecim annis Romanum rexit Imperium. Bonus hìc princeps, & Catholicę fidei ſtudioſior: Moribus eximius, & militari diſciplina peritiſſimus floruit. Inter cætera præclara eius facinora fertur, quum Mediolanum profectus eſſet, Tēplumq; ibi ingredi vellet, quòd ab Ambroſio Epiſcopo propter facinus aliquod patratum fuerit prohibitus, donec acta pœnitentia crimen illud expiaſſet. Id quod ęquiſſimo animo tulit, pœnitentiamq; ſubijt. Poſtremò annum ſuę ætatis quinqua-

quinquagesimum agens apud Mediolanum diem functus est.

ZOSIMVS P. M. ETC.

ARCHADIVS, HONORIVS. CC. AA.

ARCHADIO & Honorio filijs paruulis Theodosius pater Imperium reliquit. Verùm propter ętatis lubricum tres illis reliquit dùces, qui curam Imperij gererent: Ruffinum, Stilconem, & Gildonē. Qui quidem tres pietatis obliti, & beneficiorū Theodosianorum immemores, Imperium sibi vsurpauerunt aliquandiu. Sed illis vltione diuina per varios casus tandem peremptis, Archadius atq; Honorius moderatè satis rexerunt Imperium. Archadius à patris excessu vixit annos duodecim: Honorius verò annos xv. Mortuus est hic Romę, ac ibi apud Diui Petri Atrium sepultus.

BO-

BONIFACIVS PRIMVS P. M. ETC:

THEODOSIVS IVNIOR, VALENTINIANVS SECVNDVS, MARCIANVS, LEO. CCCC. AAAA.

THODOSIVS Iunior princeps bonus, Christianæ rei studiosissimus, ac per humanus in magna rerum perturbatione Imperij habenas est moderatus. Nam annis vno & viginti vnà cum Honorio patruo rebus pręfuit: biennio autem solus; & annis vigintiquinq; cùm Valentiniano genero. Demùm propè Constantinopolim, vbi Hunnorum & Ostrogothorum Regibus obuiã armis ire parat, pestilentiæ morbo correptus interijt. Hìc Theodosius priuilegia studij generalis Bononiensibus tribuit. Qui regno pręesse cępit anno salutis 425. Sicuti glossator refert in Clement. 1. de Magistris.

Valentinianus occidentis Imperij administrator pacem cum Genserico Vandalorum Rege inijt: ac certis finibus Africam sibi & Gense-

rico

rico diuisit: Vandalisq; incolendam concessit. Attila verò crudelissimus tyrannus per hęc tempora ad occupandum occidentale Imperium animum adijciens, copias vndiq; breui in Hungaria colligit, protinusq; iter arripit. Quod vbi Etius insignis belli dux Romanus accepit, cum Gotthis & Theodorico Gallorum Rege, ac auxiliarijs Romanorum copijs Attilæ occurrit: Cũ quo in campis Tolosanis prælium cruentum est commissum. In ea nãq; pugna, quæ ab ortu solis ad noctem vsquè protracta fuit, centum & octuaginta millia virorum vtrinq; periere, atq; in fugam Attila datus. Cæterùm Etij virtus quum Valentiniano suspecta indè esse cepisset, eum gladio peremit. Ea res tamen Valentiniano impunita nequaquàm fuit: siquidem anno sequenti à Trasila Etij milite confossus interierit. Imperium hìc cum Theodosio socero annis xxv. cum Marciano autem annis quinquè gubernauit.

Marcianus princeps catholicus catholicisq; plurimùm fauens habitus est. Ea nocte, qua obijt Attila, per quietem vidisse fertur, arcum confractum. Eo imperante occidentale imperium ab orientali propè fuit diuisum. Nam Ro-

mani Auitum quendam ſenatorij ordinis Virũ, ciuem Romanum, Imperatorem ſibi elegerũt, cum quo Marcianus mitiſſimi vir ingenij Rempub. concordibus animis adminiſtraruut. Multæ prouinciȩ ac Regna ſub hoc Cæſare Marciano ab Imperio Romano deſciuerunt. Intereà Marcianus ſeptẽ annos quum orientale gubernaſſet Imperium apud Cõſtantinopolim obijt.

Leo poſt Marcianum Conſtantinopoli Auguſtus deſignatur. Qui dein Leonem filium ſuum Imperij conſortem ſibi adiunxit. Primo huius Imperij anno Auitus Imperator Romæ obijt. At Maioranus quidam ab exercitu apud Rauennam ſuadente Leone, in Imperatorem electus eſt. Sed poſt annum Imperij tertiũ Leo apud Terdonã Maioranum interficit. Cui ſubrogarunt Romani Seuerinum. Enimuerò anno Imperij tertio Seuerino Romȩ defuncto, Anthemius, qui fuerat Marciani gener, Imperator à Romanis deligitur. Poſtremò quum ſe morbo mortiferè correptum Leo animaduerteret, alium Leonem ex Mariagna ſorore nepotẽ, & Zenonis Iſaurici filium Imperij ſibi ſucceſſorem fecit. Ipſe autem Leo puer adhuc quum paucis menſibus gubernaſſet Imperium Zenonem-

nem

nem patrem propria manu Imp diadema-eriali te coronauit.

SIMPLICIVS P. M. ETC.

ZENO, ANASTASIVS CC. AA.

ZENO Isauricus ad Imperium à Leone filio (vti paulò ante diximus) perdu-ctus annis plus minus nouē Romanæ Rei præfuit. Deniq; Constantinopoli diem functus est. Cui Anastasius in Imperio succeßit. Is quidem initio sui regiminis exēpla catholici & boni principis dedit. Cęterùm posteà ab Achatio Constantinopolitano Episcopo & hæretico seductus, in malam abijt crucē. Vbi enim septimum fermè & vigesimum annū malus malè præfuisset Imperio, cœlesti fulmine ictus animam illicò efflauit.

SIMMACHVS P. M. ETC.

IVSTINVS SENIOR C. A.

AD Iustinum seniorem Imperij cura, sublato cœlesti fulmine Anastasio Cęsare herętico, peruenit. Iustinus catholicę religionis amans, accerrimusq;

propugnator fuit. Legatos Romam ad summũ Pontificem (quò Apostolicę sedis auctoritatem confirmaret, ecclesijsq; omnibus pacem redderet) protinus, suscepto Imperio, misit. Hæreticorum nomen omni suo conatu extinxit, & Arrianos omnes Constantinopoli expulit, eorũ templa catholicis tradidit. Qui tandem admodum senex post annũ sui Imperarij XI. Iustiniano sororis suę filio Imperatore designato; apud Constantinopolim in pace quieuit.

BONIFACIVS SECVNDVS. P. M. ETC.

IVSTINIANVS C. A.

IVSTINIANVM Imperatorem, sororis Iustini Cęsaris filium, historici cũ armis tùm legibus passim collaudãt. Regnauit annis XXXVIII. Intra quod tẽporis spacium multa rei bellicæ præclara exempla ædere potuit. Imperium quidem Romanũ fortuna potius, quàm consilio, multis prouincijs & ditionibus per duces belli & legatos auxit. Ius ciuile Romanum ordine quippè distinxit: sed plurima quoq; interim cognitu haud medio-

mediocriter necessaria callidè suppręssit: vt vix ea in re queas discernere, nùm plus iacturę, quàm commodi attulerit Iustinianus posteritati. De quo aliàs plura scripsi in libro de Moribus Maiorum,& longa consuetudine ad l. More Maiorum.ff.de iurisdict.omn. iud.

PELAGIVS PRIMVS P. M. ETC.

IVSTINVS MINOR, TIBERIVS SECVNDVS CC. AA.

IVSTINO minori post Iustinianum administratio imperij delata fuit. Is rapacitatis & nimię auaritiæ insimulatur: qui & Pelagiana hæresi fuerit infectus, ac iusto Dei iudicio rationis intellectu demùm etiam priuatus. Tiberium tamen, quò Imperij moderaretur habenas, in filium sibi per adoptionem suscepit. Posteaquàm annis XI. regnasset, vita ipsum cum amentia destituit.

Tiberius secundus, Iustino defuncto, Imperatoris nomen cum administratione suscepit. Præclaris animi & corporis dotibus fuit hìc Princeps ornatus: inter alias eius virtutes benignus & in pauperes pręsertim liberalis vixit. Cùm

verò

verò multa de thesauris, quos Iustinus coegerat, pauperibus erogaret, eius coniunx Sophia frequentius eum monebat, nè Rempublicam ad paupertatem redigeret: At ille, confido in domino, aiebat, non defuturam ęrario nostro pecuniam, modo vt inopes eleemosina à nobis subleuentur; aut captiui de hostium manibus redimantur: Hęc nāq; ò Augusta, pro magnis sunt habenda thesauris. Obambulans verò semel palatium suum crucem marmoris in pauimento fortè conspicatus ait: Crucem Domini, qua frontem nostram & pectus munimus, pedibus conculcamus? Quarè lapidem in quo exculpta crux erat, illicò iussit indè auferri, & loco honestiore ac sublimi collocari. Post hoc autem egregium facinus, vna atquè altera crux est inuenta: sub quibus tantam vim auri & argenti reperit, quantam principis huius munificentia poscebat. Fuerunt & ad eum Narsetis thesauri ex Italia delati. Quibus conflatis ad magnificentiam & liberalitatem est vsus. Et nè quid fœlicitati eius deesset, exercitus, quem in Persas miserat, victor rediens tam diuitem ex hostibus prędam attulit, vt anteà nunquàm. Hanc fœlicitatem pepererunt eius erga humanum genus

merita,

merita, religio erga Christum, & beneficentiæ in Romanum populum, quem armis, quoad eius fieri potuit, semper est tutatus. Igitur Tiberius post annum sui imperij septimum sentiens diem sibi imminere extremum, vnà cum Sophiæ coniugis placito Mauricium genere capadocem, Virum strenuum, ad imperij culmē elegit: ornatamq́; eius filiam regalibus indumentis ei in coniugem tradidit, dicens: sit tibi Imperium cum hac puella mea cōcessum. Vtere eo fœlix, memor semper iustitiæ & æquitatis. Quibus dictis, animam Deo reddidit, magnū sui relinquens desiderium. Fuit enim summæ bonitatis princeps: in eleemosinis promptus: in iudicio iustus: in iudicādo apprimè cautus: neminem despexit: omnes dilexit, & ab omnibus iuxtà dilectus.

GREGORIVS PRIMVS, A REBVS GESTIS COGNOMENTO MAGNVS P. M. ETC.

MAVRICIVS PHOCA CC. AA.

MAVRICIVS defuncti paulò ante Tiberij gener, capadocia oriundus, ob eius animi vigorem Imperator designatur. Is

Is longobardos Italia pellere dum molitur, Sigebertum Gallorum Regem mercede conducit: qui magno Gallorum & Germanorum cõparato exercitu longobardos inuadit, ſimulq; magno accepto incommodo ſuperatur. Cęterùm hos obtenta victoria inſolentiores factos Mauricius, coacto rurſus exercitu, duce Hexarcho quodam Romano debellat. Qui demùm legem impiè tulit: vt Romanæ adſcriptus militię non prius Deo vlla ratione vel prætextu militare poſſet, quàm tempus præſtitutum militiæ impleuiſſet. Cuiuſmodi rei indignitate motus Diuus Gregorius Papa Mauricium monet, nè ſacroſanctam eius impugnet religionem, cuius benignitate ex infima hominum ſorte ad ſummum dignitatis gradum perueniſſet. Neque hac eius improba lege Cęſar contentus, Ioannē Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Patriarcham vniuerſalem nominat, Diuũq; Gregoriũ monet, vt Conſtantinopolitano parcat. At Gregorius ingenio & fide conſtans reſpondit: poteſtatem ligandi & ſoluendi munusq; adeò paſtorale ſoli Petro, & ſucceſſoribus Petri, non item Conſtantinopolitanis Epiſcopis, à Chriſto fuiſſe traditum: ideoq; nihil minus, quàm hoc ſe

planè

planè facturum. Tùm Mauricius his non satur malis, longobardos ad inferenda Romanis bella hortatur. Qui sanè longobardi magnis, integro anno, cladibus Romanæ Vrbi illatis, amissa spe potiundæ vrbis, Mediolanum, vndè venerant, redeunt. Quarè Mauricium (licet inuitum) pœnitere sui instituti cœpit: Cumq; Diuo Gregorio mitius dehinc egit. Intereà verò milites suis fraudati stipendijs, Phocam centurionē in Imperatorem deligunt, obtruncato Mauricio, post nempè annos vnum & vigesimum sui regni.

Phoca, sublato vnà cum eius filijs Mauricio, Romanorum inuadit Imperium. Qui de se magnam spem licet præbuerit: rerum tamen exitus multorum fefellit opinionem. Etenim Persæ in Romanas prouincias irrumpentes, superato Phocæ exercitu, Hierosolymam occuparunt. Christianorum templa violarunt atq; diripuerunt: Lignum Dominicæ crucis indè abstulerunt: Zachariam Virum sanctissimum, illius ciuitatis Patriarcham, in captiuitatem abduxerunt. Hanc ob rem despectus ab omnibus (à senatu præsertim) Phocas ab Heraclio copiarum & Africæ prouinciæ Duce, Regno & vita

priuatur, poſt annum ſcilicet ſuſcepti imperij octauum.

DEVSDEDIT P. M. ETC.

HERACLIVS C. A.

VBi Heraclius Imperium eſt nactus, Eleutherium eius cubicularium in Italiam miſit: ipſe verò, magno comparato exercitu, in Perſas mouit: multasq; à Perſis occupatas prouincias in ſuam redegit poteſtatem. Perſarum enim Ducem ſingulari certamine interfecit: & Coſdram eorum Regem oppræſſit: cuius captiuum filium non ſolum aqua Baptiſmi Chriſto lucrifecit, ſed & paterno regno reſtituit. Perſidem dein ingreſſus turrim Coſdræ theſauris refertam diripuit. Quorum partem militibus dedit: partem in reparandis templis, quę à Perſis corrupta fuerant, inſumpſit: & quod reliquum ſuperfuit cum ſeptē onuſtis elephantis Hieroſolymam ſecum abduxit. Vbi crucem Domini, quam Perſæ loco anteà mouerant, priſtinis collocauit ſedibus: ob cuius rei memoriam exaltationis ſanctæ Crucis celebritas haberi dehinc cœpta eſt. Conſtanti-

nopolim

nopolim demùm rediens literis & ocio delectatus Astrologię operam dedit: negocia verò imperij Ducibus cõmisit. Intereà, Eudoxia vxore defuncta, incœstas & indignas semel ac iterùm celebrauit nuptias: & quo scæleri scęlus ætate iam grandęuus adderet, Eutichianæ communicauit hæresi. Quamobrem confectus senio infœlix arma Saracenorum atquè Arabum, Mahumeto Duce, ita sensit, vt amissa Antiochia, & expugnatis Hierosolymis, magnam in senectute calamitatẽ fuerit expertus: in qua & mortuus est, posteaquàm annos septem & viginti habenas imperij moderatus fuisset. Hoc vnum laude dignum in suis pręstitit calamitatibus: Cũ enim Arabum formidaret impetus, crucem saluatoris ex Vrbe Hierosolymorum Cõstantinopolim transferri curauit.

THEODORVS P. M. ETC.

CONSTANTINVS TERTIVS, HERACLION, CONSTANTINVS, SIVE CONSTANTIVS CCC. AAA.

CONSTANTINVS tertius successit Heraclio patri defuncto. Qui ipsum Constantinum sibi dum viueret, cõsortem imperij fecerat. Sed Pyrrhi

Patriarchę Constantinopolitani, hominis quippè hæretici, suasu, à Martina nouerca, & Heraclione fratre, quarto initi Imperij mense, Cōstantinus veneno necatur.

Sublato Constantino, Heraclion imperium protinus occupat. Quem, quum Rempublicā iniquissimè administraret, Senatus populusq; Constantinopolitanus haud multo post naso priuatum relegauit: Martinæ verò eius matri linguam abscidit: & Pyrrhum illum malum consultorem de fuga retractum interemit.

Heraclionem cōsequutus est in Imperio Cōstantius Constantini tertij filius. Qui Paulum Patriarcham Cōstantinopolitanum hæreticum fouens in illius abijt damnationem: Martinum Papam Virum sanctissimū deportauit in Chersonesum ponti: Romam armato milite profectus, & à Viteliano Pontifice optimo vniuersoq; populo perbenignè exceptus, eam nihilominus auarissimus diripuit: vt septem diebus plus auri, argenti, marmoris elaborati, & omnis deniq; generis ornamentorum Vrbi detraxerit, quàm Barbari antea in ducentis & quinquaginta octo annis vel in prædam abstulissent vel confregissent. Indè Siciliam petens, Syra-

cusis

cusis in Balneo iacens ab Armenio quodã eius milite post annum sui Imperij vigesimum octauum interficitur.

DONNVS P. M. ETC.

CONSTANTINVS QVARTVS C. A.

CONSTANTINVS quartus, Constantij Cæsaris pridem anteà interfecti filius, initio sui regiminis adeò meticulosus videbatur imperare, vt si vis eum aliqua illata fuisset, imperium vix retinere eum posse, quisquam sperasset. Princeps tamẽ fuit egregiè catholicus, modestus, & integerrimus. Ecclesias collapsas & sub Heraclio ab hęreticis dirutas, restituit, insuperq; à nouo alias ædificauit. Armis vir quippè strenuus fuit, & Saracenos decimo eius imperij anno celebri victoria superauit: coëgitq; Romano Imperio tributum promittere. A' Bulgaris verũtamen memorabilem accepit cladem: Post quam Constantinopolim rediens Sextæ vniuersali Synodo illic habitę interfuit: vbi se ecclesiæ Christi pręstantissimum defensorem aduersus hæreticos

præ-

præstitit. Obijt postremò pius princeps, vbi annis plus minus septēdecim imperasset.

CONON P. M. ETC.

IVSTINIANVS SECVNDVS, LEONTIVS TIBERIVS. CCC. AAA.

IVSTINIANO secundo Constantini Quarti filio cura Romani Imperij bis diuerso tempore fuit delata. Initio itaquè sui imperij principem bonū, prudentem, eleemosinarum, benignum atquè munificum se prę̨stitit: multas in fauorem Catholicæ religionis promulgauit leges: Africam, ac Lybiam saracenis & bello & fœdere inito eripuit: adfirmant scriptorum nonnulli, eo in fœdere, quod decennale fuit, conuentum fuisse, vt Saraceni nummos aureos mille, seruum suę gentis vnum, equum item vnum, singulo quoquè die Romano Cę̨sari penderent. Sed Iustinianus cę̨pta non tenuit vestigia: nàm Saracenos & Bulgaros, violato pacis fœdere, armis adortus plus damni accepit, quàm intulit. Cōstantinopolim dein reuersus ciuibus propter eius

eius praefecti Vrbis saeuiciam fuit inuisus. Synodum preterea habuit, in qua fuere multa sextae vniuersalis synodi repetita, & contra catholicã religionem nonnulla decreta: quibus licet summi Põtificis oratores subscripserint: Sergius tamen Pontifex eam ceu haereticam non admisit subscriptionem. Iratus ob id Pontifici Iustinianus Zachariam prothospatarium Romam ablegauit, ac vt Sergium Pontificem Constantinopolim traheret, iussit: verùm Itali milites exarchatus, arreptis protinus armis Pontificem sunt ab iniuria tutati. Cum itaquè Iustinianus perfidia, qua in omnes, & impietate, qua in Pontificem erat, infamis haberetur, à Leontio patritio nobilissimo atq; potentissimo (annuente Gallinico Patriarcha Constantinopolitano & suffragante populo) naribus est mulctatus, in exiliumq; apud Chersonesum Ponti ciuitatem post decimum annum actus.

Leontius ergò iste eodem nimirùm, quo Iustinianum depulit, impetu imperium occupãs, annos tres illud retinuit. Intereà Habdimelech Saracenorum Ammirathus huiusmodi turbas Constantinopoli exercitatas sentiens, Africam inuasit: aduersus quem Leontius Ioannem pa-

tricium & militię magiſtrum cum exercitu miſit, Africamq́;, exactis ſaracenis, iterum recepit. Sed haud multò poſt partam victoriam, ſeditione militari orta, Tiberius quidam ciuis Conſtantinopolitanus, genere nobiliſſimus, Imperator creatur: qui cum exercitu Conſtantinopolim illicò adnauigans Leontium capit: quem, abſciſis naribus, in carcerem, maiori nempè Ludibrio ſeruans, coniecit.

Tiberius itaq; huius nominis tertius, oppręſſo Leontio, ſeptennium Imperio pręſuit. Qui Philippũ Nicephori patricij filium dicentem, ſe per quietem vidiſſe caput ſuum Aquila obumbrari, in Pontum exulare iuſſit. Ad Iuſtinianum ſecundum nunc redeo.

Inter hæc igitur Iuſtinianus, qui naſo dudum mulctatus in Cherſoneſo exulabat, tempore Ioannis Sexti Pontificis Maximi, mentionem recuperandi imperij apud ciues Cherſonenſes fecit. At ciues, quibus Tiberius Cæſar cordi erat, audito Iuſtiniani conſilio, illum dehinc pręhēdere moliebantur. Cęterùm Iuſtinianus ciuium inſidias ſentiens ad Bauaros clàm indè aufugit. Bauarorum autem Rex, vel, vt ipſi tum appellabant, Cacanus, filiam in vxorem illi deſpondit

atquè

atq; elocat. Sed vix dum elapso anno Cacannus à Tiberio Cæsare pecunia corruptus, Iustinianum & hospitem & generum ipsi Tiberio prodere paciscitur. Qua quidem proditione ab Iustiniano animaduersa, ad Bulgarorum Regem Trebellium confugit. A' Trebellio proindè adiutus Iustinianus, Constantinopolim vi ingressus, Tiberium cœpit, & Leontium, à quo fuerat imperio & naso simul priuatus, in carcere depræhensum eduxit: ambosq; inspectante populo occidi fecit: Gallinico Patriarchæ oculos eruit, Romamq; oculis captũ relegauit. Quoties autem instillantem è naribus abscisis muccum deinceps abstersit, toties aliquem contrariæ sibi factionis hominem excruciari fecit. Deniq; post recuperatũ Imperium, quum regnasset annos circiter sex, in prælio tandem occubuit vnà cum filio eius Tiberio.

CONSTANTINVS P. M. ETC. *PHILIPPICVS, ANASTASIVS, THEODOSIVS, TERTIVS, LEO TERTIVS CCCC. AAAA.*

PHILIPPICVM Chersonæ exulantem quum Iustinianus, præter Constantini Pontificis voluntatem, vi atq; armis

compręhendere moliretur: commissa vtrinquè pugna, Iustinianus ipse cum Tiberio filio vti paulò ante tradidimus occubuit. Potitus proindè victoria Philippicus, Imperium sibi facilè arripuit. In quo vix sesquiannum ecclesiæ Christi iniurius atq; rebellis permansit. Ab Anastasio enim ciue Constantinopolitano captus, oculis, & Imperio priuatus in carcerē perpetuum deijcitur.

Anastasius, cognomento Arthemius, imperium nactus, catholicum se & Papæ Romano obedientem nunquàm non pręstitit, sed bello saracenos adoriri dum animo voluit, instructāq; classem, ob id, Alexandriā mittit, deficientibus ab eo belli ducibus, cogitur post annum penè tertium armis à Theodosio eius successore, & sacris initiari, & imperio simul cedere.

Theodosius, suscepto imperio, Catholicum egit Imperatorē: sanctorumq; imagines à Philippico deiectas restitui curauit. Cęterùm vix dum totus euoluerat annus, quando à Leone captus, & sine lęsione Monasterium ingredi est compulsus.

Memoratis Imperatoribus rerum vicissitudines Leonem tertiū substituerunt. Qui diù impiè

piè regnauit cum filio eius Constantino. Propterea Constantinopoli omnia ante eius imperij finem pessimo loco fuerè. Pontificibus Romanis, Christianæ religioni, & prouincijs imperio subiectis magna Leo intulit incōmoda. Etenim primo eius imperij anno Asiatici saraceni classem mille triremibus instructam aduersus Leonem eduxerunt, Constantinopolimq; Vrbem terra mariuè dura obsidione cinxerunt. Quam & si non expugnarunt hostes: grauissima tamen pestilentię lues mox insequta est: vt hominum millia circiter trecenta peste tùm fuerint absumpta.

Quæ res Leonē nihilomagis permouit: Italiam enim ac Romam pecunijs exhaustas cùm animaduerteret, Basilicas spoliauit. Adhęc, blādè à summo Pontifice Gregorio tertio efflagitabat, Imagines sanctorum in tota Italia, quemadmodum in orientali plaga factum fuerat, passim aboleri. At Gregorius tantum abest, vt hominis impietati assenserit, quòd & ipsum, coacta Romæ synodo, excommunicauerit. Leo autem sic excommunicatus post annum eius imperij vigesimum quartum interijt.

ZACHARIAS P. M. ETC.

CONSTANTINVS QVARTVS, LEO QVARTVS, CONSTANTINVS SEXTVS CVM HYRENE MATRE.

CCC. AAA.

CONSTANTINVS Leonis tertij Imperatoris nequaquàm degener filius, ſed paternæ impietatis ſtrenuus ęmulator, imperauit ſolus annis plus minus triginta tribus. Is toto tempore eius vitæ maleficiorum & magicarum artium egit mancipium. Sacras vbiq; imagines eſt demolitus. Conſtantinum Conſtantinopolis Archiepiſcopum impietati ſuæ reſiſtentē verberibus & plagis necauit: & Nicetum ſpadonem, ſacrilegij ſui participem in locum interfecti ſuffecit. Pontificis Maximi ſanas admonitiones & nuncios, qui eũ à ſcælere reuocarent, Roma miſſos floccifecit. Sabinum Bulgarorum Regem, quem anteà bello perſequutus fuerat, ſacrarum imaginum deſtructorem atquè incendiarium, in gratiam recepit. Monachos plures ac ſęculares homines Catholicos, ſuaſu Anaſtaſij hæretici &

Patriar-

Patriarchæ Constantinopolitani interfecit. Pestilens aura tùm è Sicilia & Calabria efflans, totã Vrbem Constantinopolitanam non absq; ingẽti hominum strage est peruagata. Demùm impius iste Cæsar cœlesti igne diuinitus dum cõbureretur, miserabiliter ingemuit dicens: Viuus ego adhuc igni sum traditus inextinguibili? &, adscito prius Leone filio in partem imperij, sic miser interijt. Anastasius verò hęreticus, quẽ Constantinus flagitiosè audiuerat, per os stercus euomens animam eiecit.

Leo Quartus patri in Imperio successit per ea tempora, quibus imperium vix solo nomine vigebat. Imbellis hìc fuit, & ocio atq; flagitijs deditus: delectabatur lapidibus preciosis: vt coronam gemmis splendidissimam è sanctę Sophiæ sacrario ablatam, & capiti suo impositam, per vrbem gestarit. Quorum lapidum frigidissimus alioquìn fulgor in igneum (vt fertur) conuersus Leonem adeò lęsit, vt paterna propè internœcione, cum annos quinquè regnasset, extingueretur.

Successerunt Leoni patri & marito in regni Cõstantinopolitani administratione Constantinus sextus, & Hyrenes eius mater: in qua religio, pruden-

prudentia,& corporis forma ex ęquo certarunt. Origine Atheniensis illa fuit: quę magna cum prudentia & populorum quiete semper administrauit: filiumq; nè auitam atq; paternam turpitudinem sectaretur, quo ad eius fieri potuit, cohibuit: Tarasium Constātinopolitanum Patriarcham, Virum catholicum & laudatum lubens audiuit: cuius consilio synodum in Nicæa Vrbe Bythiniæ secundam trecētorum & quinquaginta Episcoporum habuit: Imagines sunt restitutæ, & eas improbantium hæresis damnata. Cæterùm non ita diù tulit piam matrem Constantinus: qui auita amplexus scælera matrem ab illius imperij administratione repulit: At quum se tutum vicio & tyrannidi deuouisset, in magnisq; haberet delicijs, oculos effodere plurimis: matrem Hyrenem reuocarunt ad regimen ciues. Quæ protinus restituta Constāstantium filium depræhensum oculis priuauit, & carceri perpetuo tradidit. Malè rexerat anteà filius annis quinquè, & totidem posteà mater benè administrauit.

STE-

STEPHANVS TERTIVS P. M. ETC.

NICEPHORVS, SCAVRACIVS, MICHAEL CCC.

NICEPHORVS patricius Constanrinopolitanus pertæsus imperij Hyrenæ fœminæ, eam dolo captam in Lesbũ Insulam relegauit, sibiq; potestatem imperandi per vim adsciuit. Pacem cum Carolo magno firmauit: turpè fœdus cum Amurate Saracenorom duce iniuit: filium scauracium in imperij consortem elegit. Verùm à Bulgaris prælio superatus anno imperij nono occiditur. Enimuerò filius eius Scauracius, accepto in ea pugna vulnere, Constantinopolim reuersus, à Michaele sororio post annum, vel vt alij scribũt, post mensem tertium è regno pellitur.

Michael itaq; exacto sororio, imperare cœpit. Vir sanè haud malus: qui pacis fœdera cum Carolo magno perlubens confirmauit. Deniq; anno imperij eius secundo apud Andronopolim à Bulgaris bello superatus, fuga sibi salutem quæsiuit. Quarè Constantinopolim reuersus omni se abdicauit imperio: vitamq; mona-

naste-

nasterium ingressus religiosissimè reliquam vixit.

LEO TERTIVS P. M. ETC.

CAROLVS MAGNVS C. A.

CAROLVS ob eximia eius merita cognomento Magnus, paterni regni finibus (sicut chronica Norimbergica referunt) in Gallia, Rheno, Ligeri, Oceanoq́;, & in Germania, Danubio, Saloq́; fluuio, Aquitaniam, Vasconiam, Hispaniam penè totam, eam Italię partem, quæ Longobardis domicilium fuit, bellica virtute adiunxit. Saxoniam, quę non modica Germanię pars est, vtramq́; Pannoniam, Daciam, Histriam, Liburniam, omnes deniq; barbaras gentes, quæ Germaniam inter Rhenum, Oceanum, & Danubium incolunt, partim armis subegit, partim beneficio allectas in suam potestatem redegit. Qui tãtis incomparabili sua virtute auctus opibus & regnis, idoneus Ecclesię Christi Romanæ defensor, Imperijq́; Romani eximius rector est iudicatus. Anno proindè salutis octingentesimo primo Romani Imperij habenas eidem

Carolo

Carolo Leo tertius Pontifex Romæ commisit. Inter cætera, quæ Italiæ vrbibus præstitit opera Carolus, Florentiam ciuitatem à Gothis olim penè deletam pristinæ formę insigniter restituit. Bella permulta incredibili fœlicitate, & animi ac consilij magnitudine, gessit. Fuit vir forma eximia, & in omni corporis gestu valdè amabilis. Eloquentia & bonis artibus cum dicendi copia prędictus fuit. Venationibus & balneis (tuendæ sanitatis gratia) operam frequenter dedit. Prole pulchetrima vtriusq; sexus nō caruit. Carolū enim, Pipinum, & Ludouicum ex Hildegarde coniuge, pluresq; filias suscepit. Masculos viris doctissimis tradidit erudiendos: filias nè ocio torperent, lanificio assuefecit. Cùm verò Carolus iam ætate grandæuus accepisset, Pipinum filium, Italię Regem, Mediolani obijsse diem: Ludouicum natu minorem & Aquitaniæ Regem in Imperio sibi successorem designauit. Fines imperij hos esse voluit: in Gallia nempè Rhenum atq; Ligerim, in Germania Danubium, & sauum fluuios: quibus prouincijs, Aquitaniam, Vasconiam, magnam Hispaniæ partem, Galliam Cisalpinam, Saxoniam, vtrāq; Pannoniam, Histriam, Liburniam adiunxit.

L Obijt

Obijt demùm pleuresi in Aquisgrano, regia Vrbe, Anno suæ ætatis septuagesimo secundo, Regnorum quadragesimo septimo, Imperij autē decimoquarto. Sepultū eius corpus fuit Aquisgrani: cuius sepulchro inscriptio huiusmodi addita: Caroli Magni Christianissimi Imperatoris Romanorum corpus sub hoc sepulchro conditum iacet. Tribus annis anteaquàm è vita decederet, testamentum suum condidit. Cuius quidem in vita Leonis tertij Pontificis Maximi fecimus anteà mentionem.

STEPHANVS QVARTVS, PASCHALIS PRIMVS PP. MM. ETC.

LVDOVICVS PRIMVS C. A.

LVDOVICVS eius nominis primus, cognomento pius, post Carolum Magnum patrem Imperatoris nomē cū iurisdictione accepit. Ad quem quū esset delatum, Primores Romanorum in Leonis Papæ necem conspirasse, nihil cunctatus Bernardum Regem Italię Romam misit, ac nè quid Romana sedes detrimenti pateretur, præcepit. Stephanus dein quartus Pōtifex in galliam profectus

fectus ipsum Ludouicum Imperiali corona cũ sacra vnctione insigniuit. Bella multa fœliciter gessit. Lotharium eius primogenitum Imperij consortem fecit: quem Paschalis primus Pontifex Romę Regẽ Italiæ, adhibita vnctione, creauit, Augustumq́; nominauit. Bernardum, qui Rex Italiæ fuit, ex fratre nepotem, rebellem capitis pœna Ludouicus coercuit. Mitissimi Imperator ingenij semper fuit, & Apostolicæ sedi Romanæ plurimũ iugi obsequio detulit. Quatuor enim Romani Pontifices, qui successiuo tempore intra annos vigintiseptem, quibus Ludouicus regnauit, Romanam Christi rexerunt Ecclesiam, auxilium, operam, & studium pij Ludouici frustrà nunquàm desiderarunt. Cæterùm placidus Imperator, quia Carolum, cui Caluo posteà cognomen fuit, filium eius natu minimum, cęteris fratribus præferre volebat, à Lothario natu maximo captus fuit, & in custodiam coniectus: quamuis eodem anno è custodia eductus, Imperioq́; demùm redditus sit. Deniq; posteaquàm annis quinq; & viginti cũ Lothario filio Romanum Ludouicus administrasset imperium, vitam finiuit.

EVGENIVS SECVNDVS, VALENTINVS PP. MM. ETC.

LOTHARIVS PRIMVS C. A.

LOTHARIVS post patrem Ludouicũ imperauit cum Ludouico filio, quẽ sibi consortem in Imperio elegerat. Verùm inter ipsum Lotharium & duos eius fratres, Ludouicum & Carolum, ob Regni Italiæ successionem, tanta suborta dissensio est: vt eam nisi cruentissima vtrinq; habita pugna sopire potuerit. Deniq; inter fratres paterna regna concordi fœdere sic fuerè diuisa: vt illa pars occidentalis regni, quæ à Britannico oceano vsq; ad Mosam fluuium pertinet, Carolo obtemperaret, vocareturq; is Galliæ Rex. Ludouicus autem haberet orientale regnum Francorum, totam nimirùm Germaniam vsq; ad Rheni fluenta, & nonnullas ciuitates cum adiacentibus pagis trans Rhenum: & vocaretur Germaniæ Rex. Lotharius verò Imperj Romani titulum ac nomen cum Regno Italiæ, Gallia Narbonensi, & Belgica Gallia à Mosa fluuio vsquè ad Rhenum, necnon ad Rhodanum vsq; protensa,

tensa, quæ pars Galliæ Lotharingia ex eius nomine adhuc hodie vocatur, obtinuit. Rebus sic itaquè compositis, & habenis Imperij Ludouico eius primogenito, posteaquàm annos quindecim imperasset, creditis, Monasticam deinceps idem Lotharius ad supremum vsq; diem duxit vitam.

BENEDICTVS TERTIVS P. M. ETC.

LVDOVICVS SECVNDVS C. A.

LOTHARIVM patrem subsequitur in imperio filius Ludouicus eius nominis secundus, qui à Sergio Papa in Regem olim promotus, atq; inunctus Romæ fuerat. Cùm enim Lotharius ipsum Ludouicum ingēti cum exercitu in Italiam misisset: & adolescens nimia elatus fœlitate cœdibus, incendio, & rapinis quocunquè iter faciebat, omnia compleret: Romę tandem magna pręter spem exceptus humanitate ferinam illam barbariem visus est exuere. Vbi octauo, quo venerat, die Pontifex cunctis, qui aderant, circunspicientibus, ipsum in Regem vnxit, corona donauit,

nauit, Italiæ regem constituit, ac templum Diui Petri ambo, Pontifex nempè & Ludouicus, ingressi ipsum Ludouicum Pontifex Augustum declarauit, & Imperij corona insigniuit. Cæsar ergò Augustus simul destinatus Ludouicus, Roma statim Papiam pacificus contendit. Qua quidem in ciuitate omnem eius deinceps vitam eundo Romam & redeundo contriuit. Hoc Imperante Ludouico, Saraceni ex Africæ oris egressi Beneuentanorum regionem pręda atquè rapinis immaniter adoriuntur. Cæterùm obstitit eis Ludouicus, magna illicò militum manu vndecūq; collectorum, in auxilium etiam aduocans Lotharium Regem eius fratrem. Qui porrò Lotharius infœlix sibi iter ingressus Placentiæ morbo correptus animam exalauit. Cuius regnum Imperator cum Carolo patruo posteà diuisit. Posthæc benignissimus Imperator anno sui Imperij vigesimo primo diem clausit extremum.

IOANNES OCTAVVS P. M. ETC.

CAROLVS SECVNDVS C. A.

CAROLVS eius nominis secundus, cognomento Caluus, anno primo Ioãnis octaui imperare cœpit. Qui cum Britonibus & alijs bello frequenter implicitus sex annos rebus præfuit: princeps herclè, Christianissimus, ac valdè pius: Multorum monasteriorum, & celeberrimorum templorum conditor. Obijt tandem Mantuæ, sumpto in potione veneno: quod Sedechias Hæbreus eius medicus, illi dolosus propinauit.

MARTINVS SECVNDVS, HADRIANVS TERTIVS, STEPHANVS QVINTVS PPP. MMM. ETC.

CAROLVS TERTIVS C. A.

CAROLVS tertius cognomento grossus, à Ioanne octauo *R*omæ Imperator est designatus, coronaq́; imperatoria donatus. Vbi enim Ludouicus Balbus, quem idem Ioannes in Gallijs Au-

gusti honore decorauerat, post biennium obijsset, hìc dein imperij rexit habenas. Normanos, qui nobilissimam Galliarum Vrbem, Treuerim, & adiacentem regionem hostiliter inuaserant, igniq; & rapinis delebant, coacto vndiq; milite fœliciter repræssit: illorumq; *R*egem ad pacem petendam & Christi fidem amplexandam strenuè adegit. Imperauit annis decem: & in postremis eius vitę diebus paupertatem illi fuisse comitem, traditur.

FORMOSVS, BONIFACIVS SEXTVS, STEPHANVS SEXTVS ROMANVS, THEODORVS SECVNDVS, IOANNES NONVS. PPPPPP. MMMMMM. ETC.

ARNVLPHVS C. A.

ARNVLPHVS septimus à Carolo magno gallicus *R*omanorum Imperator, post Carolum tertium imperij curam suscepit. Is à Formoso Pontifice in auxilium contra eius inimicos in Italiam vocatus, imperij coronam *R*omę accepit. Hìc

Mogun-

Moguntinos armis strenuè compescuit: Nortmanos, qui cum Danis annos quadraginta Galliam immaniter vastauerant, magna vi perdomuit. Dein Arnulphus vniuersæ orientali Franciæ, quæ Theutonicum regnum dicebatur, nẽpè Bauariæ, Sueuiæ, Saxoniæ, Thuringiæ, Frisiæ, & Lotharingię est dominatus. Verùm posteà nimio fortè rerum successu elatus, malè de omnibus, cumprimis verò de personis ecclesiasticis, mereri cœpit. Tandem pediculari morbo miserè corrosus vnà cum dignitate Pipinorum familiæ interijt: vbi annis plus minus duodecim imperasset.

BENEDICTVS QVARTVS P. M. ETC.

INFAELICIA planè Romani Imperij fuere hæc tempora: quæ nullũ eiusdem imperij tulere rectorem. Ab Arnulpho autem vsquè ad Ottonẽ primum, genere saxonem, intercessere anni haud pauciores sexaginta, quibus Imperatoris nomẽ (excepto Berengario primo Longobardorum atq; Italię rege, qui à Lando Papa in Imperatorẽ fertur coronatus) fuit omninò incognitum.

BERENGARIVS PRIMVS C. A.

HIc Berengarius foroiulianorum Dux, & Roma oriundus, ex Longobardorum Regũ sanguine procreatus, bellica virtute præstatissimus fuit. Qui, sublato Ludouico rege, Arnulphi Imperatoris filio, rerum in Italia primus est potitus. Bella multa (quò vniuersam occuparet Italiam) contra hostes fœliciter gessit. Tandemq; à Lando Papa diademate Imperiali est donatus. Imperij autem Romani habenas cũ rexisset annis quatuor, moritur.

IOANNES XI. P. M. ETC.

OTTO PRIMVS C. A.

Chronica Norimbergica fol. 178. 181. & alij scriptores Germani omnes.

AD Ottonem natione Saxonem, Henrici Germanorum Regis filium, qui primus inter Germanos Imperator fuit, Ioannes duodecimus Romanorum Imperium transtulit. Quod planè maximũ munus, & summum ornamentũ Germanicæ nationis fuit. Certabant porrò inuicem illis tẽporibus pro Romanorum imperio Itali, Galli, & Germani.

Germani. At sacrosancta Apostolica sedes Romana magno ardore gratificandi Germanis flagrans, hoc imperium eis pro ingenti sempiternoq; beneficio concessit. Hactenus enim Germanos eximio aliquo honore sublimiq; dignitate ac potestate apud exteras nationes fuisse cōdecoratos, nusquàm legitur. Sic vtinam postcà libenter fines imperij custodissent, lateq; contra turcicā barbariem propagassent Germani, atq; libenter tum de manu Papæ, reuerenterq; illud, summi beneficij loco susceperunt. Et quàmuis Romani Pōtifices ea tempestate euocarint Germanos ad defensionem Ecclesię contra immanitatem Berengarij: non verūtamen ob eam pręstitam defensionem Romanum Imperium Apostolica sedes peculiariter transferre ad Germanos tenebatur: siquidem Germani ab eadē Apostolica sede Romana è paganismo ad euangelij lucem perducti, & per lauacrum baptismi regenerati, tenebantur piæ matri Ecclesiæ obedire, eius saluti succurrere, & eam ab omni violentia defendere, iuxta euangelicum illud, Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Quemadmodum enim sacerdotes tenentur orare pro Regibus & populo christianis, ita

Otto Phrisingēsis lib. 6. cap. 21

Luc. 17.

Exo. 17. Ioelis 2. Deuter.

20. Ad Hæbr. 5. In auth. Quomod. oport. epi s. i. princip. l. si quis in hoc genus. C. de E s. & cler.

Reges, velint nolint, tueri sacerdotes ab aliorũ iniurijs prorsus debent. Proindè gloriari desinãt Germani apud Rudeuicum Phrisingensem lib. 2. cap. 21. de gestis Friderici primi, suppetias se tulisse aduersus Berengarios Romanę Ecclesię, ac propterea imperiũ Rom: promeruisse: quoniam huiusmodi opelam tenebãtur dare Christo, & seipsos demùm inutiles seruos dicere, vt tantum absit se debere Imperij coronam, vel quid aliud demeruisse opinari. Ad Ottonem redeo. Qui priusquàm imperij corona insigniretur, iusiurandum fidelitatis (vt vocant) ipsi Ioanni Papæ præstitit: de quo in c. Tibi Domino Ioanni. 63 distin. Qod quàm benè seruarit, in libro Pontificum ad Vitas eiusdem Ioannis XII. Benedicti Quinti, & Leonis octaui, satis olim explicui. Fuit hìc otto Vir bellicosus: Hungaros armis domuit: Berengarium in Italia Tyrannum captiuum duxit, aliaq; multa bella varijs in locis (vt omnes tradunt historici) fœliciter gessit: qui si præstitum iusiurandum Apostolicæ sedi Romanæ seruasset, boni vtiq; Imperatoris nomẽ ꝑ omnia haud immeritò obtinuisset. Vbi aũt annis XII. Rei Romanæ ꝓfuisset, interijt Viennæ, & Magdeburgi apud saxones fuit sepultus.

IO-

IOANNES XII. P. M. ETC.

OTTO SECVNDVS C. A.

OTTO secūdus primi Ottonis filius administrationis suę tempore omnia moderatè & benignè, quę ad Ecclesiam Romanā pręsertim spectabant, gubernauit: Imperij verò Diadema, consentiēte patre, de manu Benedicti septimi vnà cum Theophania vxore reuerenter suscepit: ac decimo tandem eius imperij anno Romę moritur. sepelitur.

OANNES XII. P. M. ETC.

OTTO TERTIVS C. A.

OTTO Tertius secundi Ottonis filius auitum & paternum referens nomē, post obitum patris Romæ anno salutis 984. absens per Germanos, quorū multitudo frequens tùm Romæ fuit, ad imperium eligitur. Germanorum electio, Pontificis benignitate, seditionis vitandæ gratia, confirmatur. Is administrationi Romani imperij pręfectus

fectus vndecim annos in Germania ociosus quasi delituit: vt nemo historicorum fecerit illius intereà mentionem. Posteà verò Romā pro obtinenda imperij corona maximis copijs veniens, à Romanis summa beneuolentia & honore suscipitur, & à Gregorio V. corona imperij donatur. Hoc tertio imperante Gregorius Quintus eius consanguineus cōstitutionem illam, vt apud septemuiros principes Germanos electio Romanorum Regis in Imperatorem posteà à summo Pōtifice promouendi, tulit. Quę quidem Papæ constitutio immensum honoris atquè dignitatis splendorem Germanis planè attulit. Si enim prius Romana Petri sedes gentem illam (vt de luce euangelij per solos Romanos Pontifices vniuersę Germanię non sine maximo labore & sumptu tradita sileam) ex translatione Romani imperij à Gallis & Italis ad ipsam facta insigniter cohonestauit: multò magis hac de septemuiris electoribus Germanis constitutione vniuersam illam telluris Germanicę plagam eadem sancta Romana sedes illustrauit. Vt sanè tantorum beneficiorum Germani immemores nequaquàm citra piaculum & grauē ingrati animi labem, esse possint. Nec ad rem

pertinet, quòd nostri sacerdotes de corruptis moribus insimulantur à Germanis eorumq; sodalibus. Nam mitto Germanos atquè illorum socios nulla in parte nostratibus esse albiores, vtinam non longè deteriores: sed cur ex præcepto Christi non seruant & non faciunt omnia quęcũq; præcipiuntur eis ab illo, qui in cathedra Petri Romę sedet, secundum verò opera illius & mores (si mala sint, quemadmodum illi forsan temere opinantur) nõ faciant? Sic nanq; tunc pijssimo Christi voto satisfieret: qui alibi etiam ęternum patrem maximopere rogauit, vt omnes, qui sub eius vexillo militarent, vnanimes essent, idem prorsus sentirent in Ecclesia eius sancta. Amat enim Christus pacem & cõcordiam in ecclesia, non autem scissuras & scãdala. Sic vtiq; fieret (si omnes idem sentiremus in Christi ecclesia) vt mores corrupti sacerdotũ multò facilius corrigerentur, quando Reges & populi de indecora sacerdotum vita simul conquererẽtur. Sed canimus surdis, sat scio. Quippè noui duram ceruicem eorum, quos nihilominus pio charitatis affectu nunquàm nõ sum complexus.

IOAN-

IOANNES XVIII. IOANNES XIX. SERGIVS IV. BENEDICTVS VIII. PPPP. MMMM. ETC.

HENRICVS PRIMVS C. A.

SVBROGATVR Ottoni Tertio defuncto Henricus, vt Germani aſſerunt, ſed malè, ſecundus, Bauarus, cognomento Claudus: vel potius, vt omnes alij rectius volunt, primus, anno Domini 1003. Germani nanq; principes electores ab Ottone proximè memorato ad id pridem ex Gregorij Quinti conſtitutione ordinati adminiſtratorem imperij illum elegerunt. Pontifex Romanus Benedictus octauus electioni de Hērico factæ non contradixit. Henricus igitur Bauarus ad imperij curam per Germanos accerſitus annos duodecim partim cum Gallis partim cum Metēſibus bella gerens è Germania non diſceſſit. Poſteà verò illis duodecim annis exactis Romam pius & humilis veniens ab eodem Benedicto octauo corona imperij eſt honorificè donatus. Saracenos Italiæ finibus expellere curauit: Et Græcorum exercitam per id tempus in

Romanos

Romanos petulantiam in noua Troia, Apuliȩ ciuitate, armis compescuit. Laudatur ab Vniuersis Italis & Germanis scriptoribus Henricus, qui verè pius & bonus fuit. Quàmquàm sub Hērico isto Turcarum gens bellicosa anno Domini 1012. vi Hierosolymam absq; tamen sepulchri saluatoris nostri, templorum montis sion, & Bethleem violatione cœperit. In reliquis autem, præsertim verò cultum & timorem altissimi concernentibus, ita Henricus suo tempore est versatus, vt faustas diuorum & hominum acclamationes & voluntatem vbiq; facilè promeruerit. Cȩlibem vitam cum vxore suą castissima Cunigunda, quam sororis instar semper habuit, ad supremum obitus vsq; diem vixit. Anno, quo fuit in Regem Romanorum electus, sexto episcopatum Bambergæ opulentum, maximis diuitijs & dei cultu conspicuum, in honorem sancti Petri & Diui Gregorij benignissimus Cȩsar constituit. In eadem ciuitate Bamberga ad meridiem extruxit Monasterium, dicauitq; illud Diuo Stephano Prothomartyri: Ex altera autem parte Ciuitatis Aquilonari, Saxoniā versus, ȩdificauit Monasterium, quod sancto Michaeli Archangelo, & sancto Benedicto Abba-

ti, nuncupauit. Sibi suęq; ciuitati (historici Germani referunt) supra petram Apostolicæ firmitatis sic fundatę, muroq; & propugnaculis meritorum santi Georgij & aliorũ sanctorum munitæ aduersus vitiorum tela turrim fortitudinis in templo Diui Stephani contra Aquilonem, vndè malum omne panditur, refugium certum in Angelico erexit præsidio. Moritur tandem anno eius Imperij vndecimo, ac humatur in extructa Bambergæ ab eo Ecclesia. Otto Phrisingensis lib.6.cap.27. Abb. Vrsperg. in ipso Henrico. Naucler. vol.2. generat. 34. 35.

IOANNES VIGESIMVS P. M. ETC.

CVNRADVS C. A.

SVCCESSIT Hẽrico Cunradus natione Sueuus, aut si Germanis credimus, Francus, anno Domini 1025. stipendia fecerat iste sub Henrico, cuius tamen optimi principis beneuolentiam sibi non demeruit. Otto Phrising. lib.6. cap. 28. Abb. Vrsperg. in ipso Cunrado. Electus igitur à Germanis eo, quem diximus, anno, nihil prius in votis habuit, ac Bambergensem episcopatum à prędecesso-

decessore Henrico summa pietate constitutum destruere penitus: idq; consilio Brunonis Episcopi Augustani, & fratris Henrici defuncti, aggredi scęlus moliebatur. Sed tantam impietatē Cunradi opere cōpleri vetuit miraculosè Deus: qui consilia huiusmodi, diuina clementia, benignissimè frustrauit. Abb. Vrsperg. in ipso Cunrado. Naucler. vol.2.generat. 35. Subindè anno 1027. ingenti Germanorum exercitu Italiam petit. Cùm à Mediolanensibus primùm non admitteretur, ciuitatem obsidet, agros deuastat, suburbia incendit, & se non anteà soluturum obsidionem minitatur, quàm pariter incensum totum Mediolanum solo æquet. At Deus omnipotens præstò affuit Mediolanensibus, acerbitatem Cunradi compescens. In die enim Pentecostes Coloniensis Episcopus, qui Cunradum è Germania in Italiam sequebatur, inter missæ solennia in spiritu vidit, Cunradoq; renunciauit: Beatum Ambrosium Germanis, nisi abscederent, excidium comminari. Quo monitus oraculo obsidionem Cunradus soluit, & Romā veniens corona imperij à Ioanne xx. Pontifice in die Paschali honorificè susceptus Romę insignitur. Cumq; posteà secessisset aliquandiu in

Germaniam, reuersus est iterum ad Italiæ oras instructissimo exercitu, anno Domini 1037. Vimq; non solùm in sęculares viros, sed etiam in Episcopos, atq; Dei ministros exercuit. Archiepiscopum nanq; Mediolanensem in custodia habuit. At idem Archiepiscopus fuga elapsus, tùm primùm, vti Abb. Vrspergen. in annis Cunradi peculiariter scribit, ab ipso Cunrado desciuit. Nec abstinuit eo tempore Cunradus alios tres Episcopos, Placentinum, Vercellensem, & Cremonēsem, velut Maiestatis reos, damnare, & in exilium deportare. Ob quæ gesta Cunradus nequè apud suos benè audire potuit. Obijt deniq; anno sui Imperij xiiii. in inferiori traiecto, & deportatum spiram eius cadauer, ibiq; sepultum. Otto Phrising. lib. 6. cap. 31.

BENEDICTVS NONVS, SYLVESTER TERTIVS, GREGORIVS SEXTVS. PPP. MMM. ETC.

HENRICVS SECVNDVS NIGER NVNCVPATVS C. A.

MEMORIAE proditum est, Henricum tertium, vt Germani volunt (licet Itali scriptores secundum illum iustius appellent: siquidem ante hunc non nisi

nisi vnus Henricus fuerit Romanorum Imperator) à præcedente Cunrado successorem in regno designatum, ab electoribus posteà Germanis anno Domini 1040. post Cunradi mortem confirmatum fuisse. Qui Romã deindè instructus milite petens, à Clemente secundo Imperator de more fuit creatus.

Qua re sic peracta, Romanos in verba sua iurare coegit, Pontificum electioni se posthaç interfuturos nunquàm, nisi iussu Imperatoris id facerent. Chron. Norimberg. fol. 189. Naucler. vol. 2. generat. 35. atq; alij scriptores Germani veteres, ac etiam neoterici testantur. Quod quidem facinus exemplo turpissimum & cunctis tũ etiam inuisum fuisse, legitur. Nàm post obitum Clementis secundi, natione Germani, & anteà Bambergensis ecclesię Episcopi, quem Henricus vi & armis Pontificem in Vrbe creauerat, Damasus secundus Bauarus eiusdẽ Henrici auxilio Papatum vi identidem occupauit. Quo vita breui functo, alium Germanum, qui Leo nonus est vocatus, idem Cęsar substituit: His successit, quem Germanum Henricus æquè dedit, Victor secundus, & Victori Stephanus nonus, natione Lotharingus, eadem Henrici

opera ſubrogatus fuit. Conqueritur hanc illatã Apoſtolicę ſedi Romanæ iniuriã Otto Phriſingen. auctor Germanorum hiſtoricorum fide & antiquitate longè præſtantiſſimus, aduerſus Hẽricum dicens: Ex hic Romana Eccleſia in electione Canonica Pontificum in tantum infirmata eſt, quòd iſte (intelligens de Clemente ſecundo) quatuorq; ſequentes ab Imperatore ibi poſiti in Cathalogo Pontificum inueniantur. Qualiter autem induſtria & opera Hyldebrandi, ille inquit, ſub Leone nono libertatem ſuã ex parte, ſub Alexandro verò ſecundo plenè rehabuerit, infra dicemus. Et paulo antè loquẽs de eodem Cæſaris ſcęlere ſic ſcribit: Ita & huic Hyldebrando, qui ſemper in eccleſiaſtico rigore conſtantiſſimus fuit, cauſa iſta, in qua ſententia principis & quorundam Epiſcoporum præualuit, ſemper diſplicuit. hæc ille lib.6.cap. 32. Quamobrem & Germani ipſi, atq; adeò hi, quos Pontifices ſummos Henricus propria auctoritate fecerat, Henrici illud factum ſunt deteſtati. Refert idem Otto Phriſingen: vbi Leonẽ nonum Cęſar eccleſiæ Ro: præfeciſſet, Hyldebrandum virum æmulatione Dei plenum Leoni ſuaſiſſe, illicitum eſſe, per manum Laycam

ſum-

mum Pontificem ad gubernationem totius ecclesiæ violenter intrare: verùm dignitatem Pōtificiam concedere, solis Romanis iure competere. Cuius monitis acquieuerit lubens Leo, & electioni Henrici confestim renunciauerit. Phrisingen. d. lib. 6. cap. 33. Vndè purpureo paludamento deposito, Romam peregrino habitu indutus, est profectus: se ipsum coram cætu Cardinalium, clero, populoq; Rom: accusans, quòd maluerit, Imperatori, quàm Deo, obtemperare. Idcircò cupiens periculum Apostasię vitare, in quod inciderat, papalia indumenta suscepta ab Henrico, cui minus cautè, ille inquit, prębuerat assensum, se quàmprimùm ab Hyldebrando admonitum abiecisse, palàm est fassus. Quibus ita ritè peractis. Romani cum ipsum Brunonem postera die in summum Pontificem nihilominus elegeruut, atq; constituerunt: cui & primum inditum nomen, Leoni nono, rursus imposuerunt. Naucler. vol. 2. generat. 35. in Chron. Norimberg. fol. 188. Ad Henricum redeo. Qui tādem quadragesimo ætatis anno, vbi annis plus minus septemdecim Imperij rexisset habenas, suffocatus (sicuti Cuspinianus refert) maiuscula portione panis sumpta, diem clausit extremum.

STE-

STEPHANVS NONVS P. M. ETC.

HENRICVS TERTIVS C. A.

HENRICVS, quem Itali ſcriptores rectiſſimè tertium, Germani verò quartum appellant, anno Domini 1057. admodùm puer ſuccedit in Regno patri Henrico ſecundo, nigro nuncupato. Multa huius geſta probro illi data ſunt. Scribit in Chronicis ſuis in annis eiuſdem Henrici tertij Abb. Vrſpergen. qui illis temporibus ſe vixiſſe ait, multisq; conuentibus principum cùm in Germania tum in Italia propter diſſenſiones ipſius Henrici tollendas, plerũq; factis interfuiſſe, ac æuo illo geſta omnia rectè calluiſſe: quòd iſte Henricus adoleſcentiæ vſus libertate, Saxoniam ſolam ex omni Romano Imperio cæpit incolere, principes deſpicere, nobiles opprimere, infimos extollere: Venatui, luſibus, cæterisq; huiuſmodi exercitijs plus, quàm iuſtitijs faciendis, operam dare: filias illuſtrium quibuslibet obſcurè natis elocare, priuata præſidia (non ſatis regni primatibus fidens) inſtituere. His diſcordię ſeminarijs contigit, Regi quàmplurimos

inſidia-

insidiatores tàm vitæ, quàm Regni sui crescere: & reliqua: Vndè Saxones coniurationem contra Hẽricum ineunt: apud sedem Apostolicam Romanam, cui Alexander secundus per id tempus præerat, eum simoniæ & aliorum turpissimorum scęlerum insimulant: socios tamen intereà ex omni regno Teutonico sibi asciscunt. Quorum insidijs Rex territus, relicta Saxonia, quàm sibi inhabitandam elegerat, in alias regiones cõcedit. Tùm Saxones præsidijs & munitionibus contra Henricum se muniunt: Castella eius & arces funditus euertunt: atq; ossa cuiusdam filij sui in contumeliam patris, violata religione sepulchri, de tumulo canibus deuoranda eijciunt. Henricus verò legatos ad Alexandrum secundum Romam mittit, qui statim reuersi eundem per literas summi Pontificis ad satisfaciendum pro simoniaca hæresi, ac alijs pluribus erratis, quæ de ipso Romæ fuerant renunciata inuitant. Cæterùm Rex hortationem Pontificis nihil moratus, Saxones bello aggreditur: hominum strages vtrinq; nõ parua committur: Oppida, pagi, ciuitates & domus Saxoniæ incendijs, direptionibus delentur. Mater Henrici Agnes, mulier honesta, insolentiam &

turpem filij vitam tandem fastidiens è Germania Romam, vbi castè viuens defuncta postmodum est, deuotionis & pietatis ergò, secessit. Abb. Vespergen: latè in annis eiusdem Henrici. Phrisingen. lib. 6. cap. 34. & lib. 7. cap. VIII. In Chron. Norimberg. fol. 193. Naucler. volu. 2. generat. 36. Sebast. in vita ipsius Henrici, & expressius idem Sebast. fol. 747. sub titulo, Bellum maximum & horrendum &c. Hìc Henricus Longobardos quosdam Episcopos adegit, vt aduersus Alexandrum Pontificem, pietate & singulari doctrina insignem, crearent, Agnete ipsius Henrici matre reclamante, Cadolum quendam Parmensem Episcopum Antipapam: sicq; tunicam Christi purissimam, idest, sanctam eius ecclesiam sub Alexandro impiè secundum Germanos historicos Hēricus iste scidit. Abb. Vrsperg. in annis eiusdem Henrici. Chron. Norimb. fol. 191. & fol. 192. Naucler. vol. 2. generat. 36. Henricus iste non modò extraneis & Matri inuisus, sed & proprio eius filio Cunrado primogenito, atquè secundum Vrspergensem optima & singulari indole prædito, detestabilis factus rebellionem ipsius Cunradi, paternæ turpitudini cōmunicare nolentis, sensit. Subindè mortuo Ale-

xandro

xandro secundo, & Antipapa Cadolo quoq; è viuis sublato, Gregorius VII. Vir bonus & integer in Pontificatu successit: cui per Agnetem Matrem, & tres Episcopos simul ipsum rectè monenti, vt ab Episcopatuum & ecclesiarum venditione abstineret, sic dolosè versipellis respondit.

RESPONSIO HENRICI TERTII CAESARIS AD SVMMVM PONTIFICEM GREGORIVM VII.

Vigilantissimo & desideratissimo Domino Papæ Gregorio VII. Apostolica dignitate cælitus insignito, &c.

Scripsit autē has Hēricus literas, anno Domini 1073.

Henricus Romanorum Dei gratia Rex debiti famulatus fidelissimam exhibitionem.

CVM Regnum & sacerdotium, vt in Christo ritè administrata subsistant, vicaria sui ope semper indigeāt oportet: nimirùm Domine mi, & pater amantissime, quatenus ab inuicem minimè dissentiant, verùm potius Christi glutino coniunctissima indissolubiliter sibi cohæreant. Nanq; sic & non aliter cōseruatur in vinculo perfectæ

 charitatis,

charitatis, & pacis,& Christianę concordia vnitatis, & ecclesiasticę simul status religionis. Sed nos qui Deo annuente regni aliquādiu iam sortimur ministerium, sacerdotio vt oportuit per omnia ius & honorem non exhibuimus legitimum: Quippè nobis à Deo datæ potestatis vindicem non sine causa gladium portauimus, nec tamen in reos, vt iustum fuit, iudiciaria illum semper censura euaginauimus. Nunc autem diuina miseratione aliquantulum compuncti, & in nos reuersi peccata nostra priores vestræ indulgentissimę paternitati nos accusando confitemur: sperantes de vobis in Domino, vt apostolica vestra auctoritate absoluti iustificari mereamur. Heu criminosi nos & infœlices partim pueritiæ blandientis instigatione, partim etiam eorum, quorum seductiles nimium sequuti sumus consilia, seductoria deceptione peccauimus in cœlum & coram vobis, etiam digni non sumus vocatione vestræ filiationis. Nō solum enim nos res ecclesiasticas inuasimus, verùm quoq; indignis quibuslibet & symoniaco felle amaricatis, & non per ostium, sed aliunde ingredientibus ecclesias ipsas vendidimus, & non eas, vt oportuit, defendimus. At nunc quia

quia soli absq; vestra auctoritate ecclesias corrigere non possumus, super his (vt etiam de nostris omnibus) vestrum vnà, & consilium & auxilium obnixè quærimus: vestrum studiosissimè præceptum seruabimus in omnibus Et nunc in primis pro ecclesia Mediolanensi, quę nostra culpa est in errore, rogamus vt vestra apostolica districtione canonicè corrigatur, & exindè ad cęteras corrigendas auctoritatis vestrę sententia progrediatur. Nos ergò vobis in omnibus Deo volente nō defuerimus, rogantes id ipsum suppliciter paternitatem vestram, vt nobis alacris adsit clementer in omnibus. Literas nostras nō post longum tempus cum fidelissimis nostris habebitis, ex quibus nostra, quę adhuc dicenda restant, Deo dante, plenius audietis, & reliqua.

Hinc facilè liquet, ex sua nempè confessione, accusationes Saxonum subditorum, & Agnetis matris, contra Henricum Romæ palàm institutas non fuisse falsas, & quàmuis emendationem turpissimæ eius vitæ in hiscè literis Gregorio promittat: attamen nihil minus, quàm hoc, præstitit. Conciliabulum enim Vormaciæ postmodùm conuocat, & Gregorium, quem anteà à Romanis summum Pontificem creatum probauerat,

bauerat, ibi tunc execratur & damnat. Dein quoq; Henricus his non satur malis, apud Brixiã noricam ciuitatem anno salutis (sicut Vrspergensis testatur in annis eiusdem Henrici) 1080. cõegit triginta Episcopos, qui iussu ipsius Henrici, abdicato per ipsos Gragorio VII. elegerunt in Antipapam Gibertum Rauenatensem Archiepiscopum.
Proindè Gregorius Rei indignitate aduersus Hẽricum motus administratione, titulo, & regni dignitate ei interdixit, omnesq; principes & populos à Tyrannide illius & iuramento fidelitatis, quod præstitissent, auctoritate apostolica liberauit, eundem nihilominus anathematis fulmine percutiens. Quod quidem decretum vbi animaduertit in se promulgutum Henricus, per literas & oratores væniam admissi à summo Põtifice deprecatur. Annuit benignus pater precibus supplicis, Canossum oppidum ob id veniens: quò & Henricus summa hyeme ex Germania se confert. Intromittitur ad Gregorium, & in sinum sanctæ Matris ecclesiæ, pace iureiurando firmata, obedientiaq; promissa, certis quibusdam pactis, & conditionibus iterum suscipitur. A' quibus omnibus cum haud multò
post

post discessisse, tandem legitur. Victorem tertium, quem Gregorio defuncto inuitum & renitentem suffecerunt Romani, verum Christi famulum, ab eodem Henrico (quod partes Gregorij tutandas suscepisset) veneno necatum, præfati scriptores Germani referũt. Scribit Abb. Vrsperg. Vrbanum secundum diuino instructũ spiritu multa concilia suo tempore congregasse propter cõmotionem illam ecclesiarum Schismaticam: Inter quæ conuocauit in ciuitatẽ Placentinam concilium ducentorum fermè patrũ, vbi Henricum tertium tàm à se quàm à prędecessoribus suis communione ecclesiæ priuatum declarauit, astante scilicet regina Agnete ipsius Henrici matre, multaq; nefanda in illum ad aures totius synodi testificante. Tandem eius filius nomine identidem Henricus, qui à patre anteà desciuerat, imò ipsum Henricum patrem in quodam oppido carceri, seu custodiæ mancipauerat, coacto Moguntię Principum conuẽtu, adegit eũdem Henricum patrem regno atq; regalibus insignijs se abdicare. Quamobrem regno, regio cultu, & honore miser exutus in Belgiam concessit. At filius his non contentus parricidijs coacto milite, patrem nihilominus inseque-

insequebatur, donec haud multò post infœlix pater Leodij obijt, triplici scilicet excommunicationis mucrone ictus, à fidelium communione separatus, alijsq; opprobrijs ante & post mortem (quinquè etenim annis inhumatum fuisse eius cadauer testãtur Germani) meritis adfectus. Tot quippè mala in hũc vnum Henricum fuisse cœlitus congesta, is minimè gentium mirabitur, qui vitam Henrici perspectam, & Nicolai secundi Pontificis optimi decretum de eligẽdis Pontificibus æditum, habeat cognitum. Singulę porrò maledictiones super hunc Henricũ, qui tantis vexationibus Romanam sedem, & summorum Pontificum electionem perturbauit, videntur meritò cecidisse. Quas Nicolaus secundus in c. In nomine Domini. 23. distinc. aduersus discolos ingerentes se summorum Pontificum electioni, piè atquè sapienter promulgauit.

PASCHALIS SECVNDVS P. M. ETC.

HENRICVS QVARTVS C. A.

SVB Calisto, Gelasio, atquè Paschali Pōtificibus Romanis Hēricus Quartus, quem Germani quintum vocant, Henrico Patri in Romana Republica administranda annum Domini circiter 1107. violenter successit. Verùm hìc qualis fuerit, patris ipsius literis satis ostenditur. Pater nanquè istius priusquàm mœrore extinguerctur, literas ad filium, totiusq; Germaniæ principes misit: quibus sanè filiū grauiter acerbeq; de pluribus accusat. Literarum tenorem ex Abbate Vrspergensi in annis ipsius Henrici Quarti (apud illū verò Quinti) atquè Nauclero volu.2. generat.37. huiusmodi depræhendimus.

Henricus Dei gratia Rom. Imperator Augustus Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, cæterisq; Regni principibus gratiam & dilectionem dignantibus eam recipere.

Conquerimur Deo omnipotenti, & Dominę sanctę Mariæ, & Beato Petro principi Aposto-

lorũ patrono noſtro, & vobis principibus omnibus, quòd iniuſtè, & inhumanè, & crudeliter, confiſi in illa fide, in qua dubitare non debueramus, tractati ſumus: & tam honore regni, quàm prædijs, & omnibus, quæ habebamus, contra diuinum & humanum ius, ad infamiã, & improperium regni, ita expoliati ſumus, vt nihil penitus, præter ſolam vitam, nobis relictum ſit. Vbi cùm fermè omnibus cęteris magna pars veſtri viſa eſt dolere & triſtari: ſed proh dolor, nihil nobis veſtra contulit triſtitia, quin de nobis ſibi ſatisfaceret voluntas inimicorum noſtrorum odioſa. Et quia cum conſilio & rogatu filij noſtri, fide & ſecuritate vitę & honoris ab eo primùm accepta fiducialiter & deſideranter Moguntiam in pręſentiam legati Romani & principum tenderemus, vt eorum diſpoſitione ageremus tam de ſtatu eccleſiæ & honore regni, quàm de ſalute animæ noſtrę: Ipſe nõ eſt veritus in hac voluntate & obedientia nos contra datam fidem capere, & vſquè ad articulum mortis fermè ducere: Non auſi ſumus ita nos illi credere, vt iniurijs nos pro voluntate ſua, ſicut prius, valeat tractare. & paulò poſt ait: Cùm igitur ad hæc omnia parati ſimus, rogamus vos

&

& obnixè deprecamur quatenus pro Deo & honore regni & vestro instanter moneatis filium nostrum, amodò desistat nos & fideles nostros persequi, & quietè, ac pacificè viuere permittat. Quòd si noluerit, rogamus vos per auctoritatem Romanę ecclesiæ, cui nos committimus, & honorem regni, nè super nos, & super fideles nostros venitatis, quia manifestum est, non diuinæ legis zelo, vel Romanę ecclesiæ dilectione, sed concupiscentia regni, patre iniustè eo priuato, hoc incępisse. Apud quem si interpellatio vestra, nullaq; alia interuentio ad præsens prodesse poterit, appellamus Romanum Pontificem, & sanctam vniuersalem Romanã sedem & ecclesiam, &c.

Hinc vtiq; liquet, Henricum quartum, quem Germani (vt diximus) quintum vocant, ex omni parte non fuisse beatum. Porrò licet eius pater contemptor legum, & publicæ tranquillitatis turbator fuerit: attamẽ pietatis nomine propter sanguinis charitatem à filio saltem alendus erat: non autem omnibus bonis prorsùm spoliandus. Præcipit etenim lex cunctis filijs, suos inopes alere parentes: qui tametsi legũ sint cõtẽptores & impij, ipsa inquit, parẽtes tamen sunt.

l.fin.§.ipsum autẽ filium.C. de bon. quæ libe. l. si quis à liberis. ff.de libe. agnosc.§. si verò

contigerit. in au ften. de incast. nupt.

Principio itaq; Henricus iste quartus, post patrem extinctum, maximam ac penè incredibilem copiam equitum & peditum ex Germania collectam suscipiendæ imperialis coronæ gratia, Romam ducit. Cęterùm hìc Henricus apud Pontificem Romanum, vniuersamq; adeò ecclesiam malè audiebat, quòd Episcopos atquè alias personas ecclesiasticas non verebatur de ecclesijs ac beneficijs ecclesiasticis sua auctoritate, quæ in hoc nulla erat, temerè (vt vocant) inuestire. Ideoq; pręmisit oratores ad Paschalē Pontificem, qui Regis nomine spoponderunt Pontifici, si ad imperialem coronam rex admitteretur, se iureiurando abdicaturum ab omni inuestitura ecclesiarum: & quemadmodum à Carolo magno, Ludouico, Henrico sancto, & alijs imperatoribus bonis ea in re seruatū fuisset, ita planè se pręstaturum. Quarè Pontifex per legatos tum cum formula iuramenti futriū Henrico missos iusiurādum solenne ab eodem Henrico secundum promissa & oblata ab ipso recepit. Sed vbi Henricus Romam cum exercitu peruenit, propriæ salutis immemor, periuriū non horruit. A Paschali nanq; cum clero populoq; Romano (Otto Phrisingensis, cui reliqui

cum

cum Norimbergensium Chronicis frequentes subscribunt, inquit) expositis magni valoris crucibus & thuribulis, omnibusq; adeò ecclesiasticis ornamentis, diuino scilicet cultui consecratis, maximo iubilo & honore suscipitur. At Henricus à Pontifice rogatus, vt pręstitum iuramentum seruaret, inuestiturisq; ecclesiarũ renunciaret, indignabundus per fraudem summum Pontificem protinus cum omnibus ecclesię pręlatis capit, custodięq; omnes tradit.

Interim exorto tumultu, omnes res præciosæ ecclesiasticæ, quas ad decorem, & regale fastigium exponi fecerat Pontifex, immaniter à Cęsarianis rapiuntur, & in luctum statim conuertitur gaudium. Quamobrem commotus Conradus quidam Archiepiscopus Iuuanensis (seu maius dicere, Salispurgensis) qui cum Henrico in Italiam ex Salispurga venerat, & scælus hoc publicè improbans, de vita periclitatus est: Tandem in custodia aliquandiu Pontifice detento, tantum abest, vt abdicauerit se Henricus eo sacrilegio inuestiendi Episcopos, quòd etiam per vim, iniuriam, & minas (Phrisingensis, & reliqui Germani tradunt) extorserit à Pontifice priuilegium, quod prauilegium potius fuit nominandum,

nandum, de inueſtiendis epiſcopis in eccleſijs. Dein Romam, vndè prius ſeceſſerat, reuertitur, & quaſi pœnitentia ductus, ciues & Pontificem muneribus placare ſtudet, ab eoq; coronatur, & Auguſtus vocatur. Porrò huiuſmodi priuilegiū haud multo poſt ab vniuerſali ſynodo bis diuerſis temporibus in Lateranenſi Baſilica ſolenniter damnatur, ac reuocatur: prauilegiumq; commodiore vocabulo, & non priuilegium appellatur. Subdunt Abb. Vrſpergenſis & Nauclerus, in illis ſynodis à patribus, qui illuc ex diuerſis regnis & prouincijs profecti erant, Epiſcopis, Abbatibus catholicis, Ducibus, & Comitibus, legatis Vniuerſarum prouinciarum quàmplurimis, iudicatum fuiſſe Henricum Tyrannū, & deſtructorem Reipublicæ atq; eccleſiarum. Quibus temporibus contigit, Paſchalem Pontificem diem obire: in cuius locum Gelaſius ſecundus à Romanis canonicè eſt ſuffectus. Tùm verò Henricus malæ mentis ſuę nō oblitus magna vi Romam reuertitur, & Burdinum quendam Epiſcopum Hiſpanum contra Gelaſium, cuius electioni expræſſim nuper aſſenſerat, in Antipapam intrudit. Gelaſium à ſuis ſatellitibus prius cæſum, ac peſſimè affectum de vrbe

pellit:

pellit: telis atq; sagittis nauigio fugientem insequitur, ac deniq; ab idolo suo antipapa in Imperatorem iterum coronatur. Otto Phrisingen. lib.7.cap.15. Abb. Vrspergen. in annis dicti Henrici. Naucler. volu.2. generat. 38. in Chron. Norimberg. fol. 197. & fol. 196. Quibus cladibus Germania, Vniuersæq; prouinciç ita sunt attritæ, vt diuina sacramenta sine vlla custodia haberentur, spernerenturq;. Tantam Hentici licentiam per hoscè dies compescuit Calistus secundus natione Burgundus, atq; ipsius Henrici consanguineus, qui Gelasio iure optimo successit.

Porrò instãtibus Germaniæ optimatibus, vehementerq; adhortantibus, Henricum consanguineum iterum solenniter excommunicauit. Quapropter cernens Henricus ob anathematis vinculũ, quo erat illaqueatus, optimates quosq; regni à se deficere, exemplo parentis nimirùm admonitus apud Vormaciam in maximo principum conuentu violentum illud priuilegium inuestiendi Episcopos & Abbates apostolicæ sedi cunctorum consensu renunciauit: absolutionemq; excommunicationis, meliorem vitam posthac promittens, impetrauit. Otto Phrisingen.

gen. lib. 7. cap. 15. 16. Abb. Vrſpergen. & Naucler. in locis proximè allegatis. Rebus ſic itaquè tranſactis, perniciosus eſſe reipublicæ Henricus nihilomagis deſtitit. Conſilio nanq; ſoceri ſui Anglorum Regis (Phriſingengēſis & Naucleruſ tradunt) non verebatur Teutonicum regnum (niſi mors interueniſſet, nulla ſuperſtite prole) vectigale facere. Quę res in odium & inuidiam primorum illum rurſus ſub eius vitę finem planè coniecit.

HONORIVS SECVNDVS P. M. ETC.

LOTHARIVS SECVNDVS C. A.

LOTHARIVS huius nominis ſecundus nobili Saxonię familia oriundus ad Imperij curam anno Domini 1126. vocatus familiam Hērici quarti, quē Germani (vti ſæpè dictum eſt) quintum vocant, propter peccata & pręuaricationes maiorum, perdomuit, humilemq; reddidit. Otto Phriſing. lib. 7. cap. 17. Abb. Vrſperg. in annis Lotharij. in Chron. Norimberg. fol 199. Naucler. volu. 2. generat. 38. Hìc quum Leodij apud Belgas Innocen-

Innocentium secundum præsentem, sub quo regnabat, rogaret, vt ademptum Henrico quarto priuilegium, de inuestiendis episcopis, sibi restitueret, à Diuo Bernhardo Abbate Clareuallensi confutatur, monitisq; sancti Viri acquieuit. Nauclerus, Phrisingensis, & Vrspergensis scribũt. Tutatus est suo tempore ecclesiam Romanam, & ab Innocentio secundo corona Imperij Romæ fuit insignitus: atq; Imperator catholicus, fidelis, ac pius ecclesiæ aduocatus habitus est. Moritur deniq; Veronæ dum in Germaniam ex Italia rediret. Norimbergensium Chron. in ipso lothario secundo.

LVCIVS SECVNDVS P. M. ETC.

CVNRADVS TERTIVS C. A.

ANNO Domini 1138. Cunradus tertius sueuus ex sorore Henrici quarti Cesaris nepos in oppido confluentia à Principibus Germaniæ, præsente Theodorico episcopo Cardinale sanctæ Romanæ ecclesiæ legato, & summi Pontificis ac totius populi Romani, Vrbiumq; Italiæ assensum prębente, ad Reipublicæ curam Rex eligitur:

electus autem in palatio Aquisgrani ab eodem Theodorico Cardinale legato præsentibus consentientibusq; Germaniæ electoribus de more inungitur. Hic plura cępit, quàm pro diutino administrationis tempore fœliciter confecerit. Corona Imperij nō fuit decoratus: à Saxonibus & Bauaris ita hostiliter vexatus, vt ad sui defensionem potius, quàm ad exterarum nationum gubernationem, intentus esse potuerit. Postremis temporibus suę gubernationis à Romano Pontifice Innocentio secundo per Diuum Bernhardum Abbatem Clareuallensem seriò monitus expeditionem Hierosolimitanam parat, proficisciturq; milite instructus. Cæterùm malis auspicijs re cæpta, totus exercitus neci & prædæ Saracenis fuit. Otto Phrising. lib. 7. cap. 22. Abbas Vrspergen. Naucler. generat. 38. 39. in Chron. Norimberg. fol. 201. Sebasti. in ipso Cunrado.

✠

FRAN-

HADRIANVS QVARTVS P. M. ETC.

FRIDERICVS PRIMVS C. A.

FRIDERICVS primus, Barbarossa cognomento dictus, anno Domini. 1152. ad regimẽ Imperij eligitur. Scribit Abbas Vrsperg. qui illis vixit temporibus, Fridericum initio studuisse, pacem inter Germanię principes ponere, quò tumultitibus Italiæ posset efficacius occurrere. Id quod etiam, non sine tamen multorum strage in Italia effecit. Præclarus alioquin hìc Princeps fuisset, nisi sanctam Dei ecclesiam (Norimbergensium testatur historia) infami persecutione violasset. Reuerso itaq; dein illo in Germaniam, Archiepiscopus Lundonensis Roma, ad quam appellationis gratia, pridem iuerat; domum per Germaniam rediẽs à satellitibus Imperatoris spoliatur, verberatur, & opprobrijs onustus in custodia detinetur. Quod Pontifex Hadrianus quartus intelligẽs posteaquàm diu & multum vidit Fridericum hoc dissimulare factum, duos Cardinales legatos, insigens viros, cum

literis ad eum, huius rei gratia, misit: parùm tamen profecit. Huius Hadriani tempore exactores nuncios mittit in Italiam Fridericus, qui à subditis ecclesię Romanę tributa exigant. Quod Hadrianus ęquo animo non tulit. Vndè his & alijs permotus Friderici molestijs Pontifex Imperatorem anathemate percutit. Raudeuic. lib. 3. cap. 17. 21. & lib. 4. cap. x. xv. & xviii. Abbas Vrsperg. Naucler. Sebasti. fol. 553. Mortuo Hadriano, duo in dissensione eligũtur Pontifices: quorum Octauianus quidam à tribus tãtum Cardinalibus electus fuit. Alexander autem Tertius à xxii. Cardinalibus canonicè Põtifex est designatus. Veruntamen Octauianum velut Papam legitimum approbauit Fridericus. Quo Octauiano defuncto, tres alios successiuis temporibus antipapas contra Alexãdrum Pontificem idem Barbarossa constituit. Quibus lacessitus Alexander iniurijs Fridericum in Clareuallensi concilio execrationibus & omnifariam maledictionibus persequitur. Otto Phrisingen. lib. 7. cap. 26. Raudeuic. lib. 4. 59. 60. 72. 73. Abb. Vrsperg. in Chron. Norimberg. fol. 202. Naucler. volu. 2. generat. 39. Hoc loco singulariter est obseruandum: Fridericum Imperato-

rem

rem non ideò Antipapas illos contra Alexandrū creasse, quoniam dubitarit, nùm Alexander esset legitimus Christi Vicarius: Quinimò Fridericus de Alexandro verè Christi Vicario certus, ipsum coram vniuerso populo Veneto successorem Beati Petri esse testatus fuit. In Chron. Norimberg.fol.202. In Alexandro tertio. Vt tanto crudeliores Friderici debacchationes in Ecclesiam Christi videri hoc quoquè nomine potuerint, quanto magis malæ mentis suæ atquè nefandi operis conscius sibi fuit. Propterea & persecutor Ecclesiæ, vt anteà tradidi, à Germanis est dictus. In Chron. Norimberg. fol.203. in fin. Conuocauit hìc Cęsar Barbarossa anno Domini 1164. in Herbipolim Franconiæ orientalis Metropolim principum Germanorum conuentum: in quo scilicet minimè fœliciter decreuerunt, vt nemo deinceps Pontifex Romanus admittatur, qui Imperatoris aut Germanorum Regis scitu & voluntate non esset electus. Sebastia. fol. 666. 667. Dein Romam, aduocato ex Germania exercitu, acriter obsidet atq; oppugnat. Alexandrum Pontificem de vrbe fugat. Quod Guelpho ipsius Friderici auunculo valdè displicuit. & volens Nauclerus Principem hunc

Barbarossam

Barbaroſſam tyrannidis infamia notare, de obitu Alexandri Pontificis in hunc ſcribit modum.

Iàm verò Alexander tertius, poſt longos aſſiduosq; labores cùm quieturus à Tyrannicis perturbationibus videretur, pontificatus ſui anno XXI. die XIX. moritur, ſublatis prius è medio quatuor ſchiſmaticis Pōtificibus: quorū ſeditionibus Eccleſia Romana penè ſubuerſa eſt, &c. Idem teſtātur Chronica Norimbergenſia in loco pridem memorato. Barbaroſſa deniquè ducto in turcas & ſaracenos magno exercitu, fœliciterq; pugnans, minorem Armeniam ingreſſus, calorisq; impatiens rapidum fluuiūm, non expectato vadi fluminis percontatore, adiens protinus aquis ſuffocatur.

CELESTINVS TERTIVS P. M. ETC.

HENRICVS QVINTVS C. A.

PATREM Fridericum conſequitur in Imperio non degener filius Henricus Quintus, quem Germani ſextum dicunt. Hìc anno Domini 1191. defuncto genitore, cæpit regnare: Qui cognomine patris, nempè Eccleſiæ Chriſti perſecutor, in Chro-

Chronicis Norimbergensium passim est dictus, sequenti anno Romę à Celestino tertio Pontifice Imperatoris nomen atque coronam suscepit. In qua susceptione Imperialis coronę Pontifici promisit (vti Norimbergensia Chronica referunt) regnum Siciliç cis vltraq; fretum proprijs se recuperaturum sumptibus: pro quo annuum pendere deberet sedi Apostolicæ censum: & iuris ecclesiastici occupatam terram eidem Pontifici protinus restituere. Quod minimè gentium præstitisse vsquàm legitur. Ingentem verò thesaurum à multis ante regibus Panormi congestum hìc Cæsar clàm surripuit, in Germaniamq; transmisit. Plures eiusdem regni Siciliæ proceres de altissimis turribus præcipites dari fecit. Nec huius manus in ecclesiastica constituti dignitate effugere potuerunt. Quocircà tantis huius iniurijs indignatus Pontifex Celestinus execratione eum percussit. Abb. Vrspergen. Chron. Norimb. fol.206. Nauclerus vol.2.generat.40. Anno deniq; 1198. in Sicilia à propria eius vxore est veneno sublatus.

INNOCENTIVS TERTIVS P. M. ETC.

PHILIPVS ET OTTO QVARTVS A.A. CC.

PHILIPPVS prædicti Henrici ex Friderico Barbaroſſa frater, eligitur in maxima principum diſſenſione Rex, anno Domini 1199. licet nec regio nec Imperatorio diademate fuerit inſignitus. Subuehuntur & alij duo cōtra ipſum ad regios honores. Quorum alter Otto Saxoniæ Dux, qui & ſtatim poſt electionem Aquiſgrani coronatur: & mortuo deindè Philippo, curæ Imperij ſub eodem nomine Ottonis Quarti obtinuit functionem. De iſto Ottone Abbas Vrſperg. ſic loquitur. Germani principes contra Philippum ex Anglia Ottonem aduocarunt, & ad regni adminiſtrationem adduxerunt quia ſuperbus erat & ſtultus, ſed fortis viribus videbatur, & proceræ ſtaturę. Cuſpinianus etiam de illo ita ſcribit: A Germanis principibus per oratores Otto Dux, Vir audax & temerarius accerſitur &c. Validum exercitū in Germania vndequaq; coēgit.

Romam

Romam cum eo instructus proficiscitur, & ab Innocētio tertio corona imperij insignitur. Sed ab eodem posteà Innocētio anno Domini 1210. excommunicatur: ac tandem in concilio Lateranensi ob eius cumulata scęlera Romę tùm dein habito, ab imperij dignitate & officio deponitur. Idem Abbas Vrspergensis in annis ipsius Ottonis. Nauclerus vol.2.generat. 41. In Chron. Norimbergen.fol.207. Cuspinianus & Sebastia. Causam verò huius memoratæ cum depositione excommunicationis prædicti tradunt auctores Germani: quoniam post acceptum Romæ de manu Pontificis diadema Imperiale, iurisiurandi, quo se Romanę Ecclesiæ iamiam obstrinxerat, religione post habita, oppida eiusdem ecclesię hostiliter inuasit: Radicophanum, Montem faliscum, ac totam penè Romandiolæ oram periurio immersus, occupauit. Indè legiones in campaniam dirigens regnum Neapolitanum subigere est adnixus. Friderico secundo Sicilię regi & Romanæ Ecclesiæ beneficiario, ac tale quippiam nil suspicanti de improuiso ditionem suam magna ex parte eripuit. Quarè pius Pontifex omnia Ottonicis latrocinijs atq; insidijs cōpleri cernens, nequè precibus aut mandatis vel

legationibus ad eum missis quicquàm proficere animaduertens, post latam in eum, vt dixi, excommunicationem, imperio ac magistratu priuauit, subditosq; ei omnes sacramento, quo illi fidelitatem atquè obedientiam promiserant, planè liberauit: proindè hac ratione bona Ecclesię occupata in potestatem ecclesię redierè. Tandem à Philippo Frãcorum Rege apud Tornacum bello superatus mœrens & animo languens hìc Otto breui obijt.

FRIDERICVS SECVNDVS C. A.

POST Ottonem Quartum Fridericus Secũdus, Henrici Quinti filius in imperio subrogatur. Qui, dum adhuc Otto viueret, auctoritate Innocentij tertij Pontificis Aquisgrani de more coronatus crucem suscepit, & voto se obstrinxit, suppetias pro fide Christi in Asia militantibus allaturum. Cæterùm defuncto Innocentio, & Ottone sublato, eligitur summus Pontifex Honorius tertius, patria Romanus, Vir (Germani perhibẽt) doctus & morum integritate sanctissimus. Qui Romę in Basilica sancti Petri Fridericum anno Domini 1220. imperiali corona ornauit. Naucler.

cler. vol. 2. generat. 41. in Chron. Norimberg. fol. 209. Sed paulò post illum ipsum Fridericum idem Honorius conditione adiecta, nisi ablatá ecclesijs restituat, anathemate percutit. Qua excommunicationis nota, interuentu Ioannis Regis Hierosolimitani, fuit posteà per Pontificem liberatus, anno Domini 1222. Anno dein 1226. sub anathematis pœna à Gregorio nono, qui tunc Honorio defuncto fuerat suffectus, monetur, expeditionem contra Saracenos, vti Honorio promiserat, suscipere. Quam quum minus obiret, latę in eum ab Honorio excommunicationi subiacere Fridericum Pontifex pronũciauit. Profectus est tandem in bellum aduersus saracenos Fridericus, & mox ad decennium cũ Sultano inito fœdere, in Italiã haud multò post reuertit: vbi terras ecclesiæ Romanę diripuit atq; occupauit. Hìc est Fridericus ille, qui Pisis solus fuit cruẽtissimus auctor nefandissimarum factionum Guelforum & Gibellinorum: quicquid Bartholus de Saxoferrato de duabus istis factionibus in peculiari quodam eius libro aliter scripserit, Abbas Panormitanus in titulo de restitut. spoliat. diuersum à Bartholo meminerit, Blondus & Platina in Gregorio nono malè

prodiderint, Gregorius merula somniauerit, aut Ioannes Cuspinianus & alij hac de re fuerint opinati: quemadmodum paulò inferius in Ludouico Bauaro præsentibus & posteris significabo. Veruntamen anno 1230. mediante Magno magistro militiæ Teutonicorum reconciliatur Fridericus summo Pontifici: & pro damnis Ecclesię Romanæ illatis vncias auri centum & viginti millia se expositurum recipit. Post hæc reuersus in Germaniam Fridericus Hēricū filium rebellem sibi atq; cōtrarium capit, in vinculisq; ligatum in Apuliam mittit, vbi in carcere aliquandiu detentum strangulari iussit. Naucler. vol. 2. generat. 41. 42. Reuertitur in Italiam copioso exercitu iterum Fridericus, italicas vrbes expugnat, opprimitq;. Tùm Gregorius Pontifex primam ad eum legationem mittit: qua rogat, vt constituta inter auum suum Fridericum Barbarossam & Lombardię ciuitates pacis fœdera, & ab Henrico eius patre confirmata, ipse itidem custodiret. Verùm Fridericus dicto minimè audiens institutum bellum prosequitur. Cùm rursus mitteret secundam legationem Papa, pacis causa, & nihil magis proficeret, Fridericum execratus, omnes eius subditos iurisiurandi

rādi religione adstrictos liberauit. Mortuo Gregorio nono Pontifice anno Domini 1241. Celestinus Quartus ei sufficitur. Qui decimo octauo die, quo designatur Pontifex, debitum naturæ persoluit. Vacauit tùm sedes Petri opera & maleficio Friderici, propter captos Cardinales, mensibus plus minus viginti duobus. Dein eligitur in Pontificem summū Innocentius Quartus, qui generale concilium Lugduni indicit. Fridericum vocat, vt coram ecclesiæ presulibus ipsemet compareat sese de obiectis criminibus purgaturus. Fridericus autem quasdam ob causas accedere concilium recusauit: obscęnisquè carminibus, optimum Pontificem impetere cępit.

Vndè vera de Friderico & Nauicula Petri vaticinatus Pontifex Innocentius, in illum sententiam depositionis imperij, & quorumlibet Regnorum iustissimè tulit. c. Ad apostolicæ. de sent. & re iudica, lib. 6. Chron. Norimberg. fol. 212. in princ. Fridericus iste Entium filium Sardiniæ regem habuit, cui totam commiserat Italiam. Sed orto interim inter Bononiēses & Mutinenses bello, Entius, iubente patre, suppetias Mutinensibus aduersus Bononienses tulit.

Qui

Qui cum maximis copijs Bononiam deleturus apud pontem Diui Ambrosij inito certamine à Bononiensibus captus perpetuę custodiæ mancipatur. Neq; vlla vnquàm re Fridericus liberationem filij impetrare potuit, licet quandoq; minis, nonnunquàm precibus id cum Bononiensibus sępissimè tentauerit. Atquì non valuit Fridericus tanto auro liberationem filij redimere (vti Cuspinianus dissertè scribit) quanto mœnia Bononię Vrbis circũdari possent. Sic proindè captiuus annos duos & viginti, menses nouem, & dies sedecim publica Bononiensium impensa regio more nutritus obijt: funebriquè pompa regali est tumulatus in ęde Diui Dominici eiusdem Vrbis, in cuius prętorio etiamnùm magna aula extat, quę in hunc vsq; diem Entij aula vocatur. Carcer proculdubio eiusdem Entij locus ille fuit. Huius etiam captiuitatis peculiariter meminit Paulus Castrensis in l. eius qui. in prin. ff. de testam. Vbi ex omnium sententia tradit, illius Entij testamẽtum in ea captiuitate conditum non valuisse. Ab hoc Friderico Bononiam gymnasio publico tùm priuatã, quod & Paduam translatum fuisse, fertur.

Porrò hanc Bononiam vrbem, quę planè *Re-*

gia

gia & mihi patria est, silentio quasi præterire, religio sanè est. Idcircò de illa perpauca iam eloqui libet. Delectabilis enim valdè est hæc Ciuitas: in qua duo olim scholares ob ciuitatis amœnitatē Siculus vnus & Catellanus alter (vti Paulus Castrēsis refert) vigintiquinq; annos studiorum causa sunt commorati: Voluptuosa quippè Bononia est: cui quum in eius ortu siue horoscopo signum Tauri (si Astrologis vlla sit habenda fides) quod Veneri pro domo attribuitur, ascendat, delicijs atq; venereis oblectamentis meritò creditur referta. Enimuerò quoniam ortui eius signum geminorum succedit, quod Mercurij domicilium esse aiunt, liberalibus studijs potissimum, necnon & mercaturę est planè ciuitas addicta. In ea nanq; Gymnasium toto orbe celeberrimum longè vltra mille annos viguit, sicuti Bal. alioquì testatur etiam dicens, Bononia est ciuitas Regia: ideoq; in ea possunt publicè doceri iura: prætereà ex consuetudine longissima leguntur inibi iura: quæ sanè consuetudo ciuitatis versa est in naturam & priuilegium illi peperit. Deniq; quum ea ciuitas per multos Cardinales & Mundi lumina (inquit ille) genuerit, de illa, vtrū scilicet sit nec nè Regia,

In l. heres absēs. §. si quis tutelā. sub fin. ff. de iudic.

In auct. Habita. nu. 6. C. ne fil. pro patr. in probem. ff. in §. hac autē tria.

gia, minimè est dubitandum. Verùm non Cardinales tantùm ex Vrbe Bononia (sicuti Baldus noster monet) omnibus sęculis prodierè, sed & Pontifices maximi ciues nonnulli extitere. Inter quos etiãnùm viuit Gregorius tertius decimus ex Boncompagna familia oriundus. Fuerunt antiquitus Bononiẽses in Antonianorum clientela, vt apud Suetonium in Octauio. cap. 16. est videre: & priuilegia studij generalis à Theodosio iuniore primùm acceperunt, quemadmodum in ipsò Theodosio superius demonstraui. Meritò studij legalis ea ciuitas obtinet Monarchiam secundùm glossam in Rub. C. de stud. liberalib. Vrb. Rom. lib. x. & Accursius eam iustam legum nutricem appellat. Sita est in amœnissima planicie, quæ Apennino à meridie iungitur. At versus Septentrionem, necnon & in ea parte, quæ vergit ad oriẽtem latissimam planiciem iuxtà & fertilissimam possidet. Frumenti, vini & pecoris terra ferax est. Abundat auibus neque piscibus eget. Pars Rheni fluuij ciuitatẽ magno incolarum commodo præterfluit. Fuerunt olim in ea ciuitate & etiamnùm vigẽt duæ factiones diuersarum tamen subindè familiarũ, quæ priuatis ciuibus necem atq; calamitatem

In l. & ab antiquis. C. de testamen.

haud

haud rarò pariunt. Frequens & populosa est admodùm ciuitas, atq; in ambitu mœniorum ampla: Quam ab antiquo cum omni suo distri-ctu & tota Romandiola ad Ecclesiam Romanã spectare, Speculator omniũ certissimus auctor tradit in secunda parte in titulo de Rescripti prę sentatione. §. vlt. sub num. 18. Et etiam Mutinã ad Romanam sedem pertinere vnà cũ memoratis ciuitatibus ex donatione Pipini regis, Caroli magni, & Ludouici eius filij, adnotat Sebastianus in sua Cosmagraphia lib. 2. in Rauenna. Et quamuis Baldus dicat, Bononiam esse Rempublicam, cuius imaginem & nomen gerat, ac propterea non esse ecclesiæ, sed Bononiensium: veruntamen errore labitur tãtus vir, ignarus nimirùm hac in parte vetustissimæ antiquitatis historiarum. Cùm enim Constantinus Magnus donauerit Romanæ Ecclesiæ vniuersam Italiam vnà cum adiacentibus insulis, quemadmodum in libro Pontificum in Syluestro compertissimè ostendi: dein posteà absente quandoq; ab Vrbe & tota Italia per multos annos summo Pontifice, tyranni Principes occupassent plerunq; Bononiam ac totam Romandiolam, & Pipinus Rex, necnon & Carolus magnus eiusdem Pipi-

In tit. de feudo March. in prin.

ni filius, atquè Ludouicus Imperatores, & ſubindè etiam Rudolphus Cæſar donauerit eandẽ Ciuitatem Bononiam, vniuerſamq; Romandiolam rursùm Eccleſię Romanæ: quam nimirùm donationem ſpeculator in prænotato loco veriſſimè aſſerat, non fuiſſe propriè donationẽ, ſed verius declarationem, quò memoratas ciuitates & prouincias ad Romanam ſedem ab antiquo pertinere demonſtrarent: qua ratione, quibusvè argumẽtis poterimus cum Baldo negare, Bononiam ad Romanam ſedem ſpectare? Nequè me mouet Baldi ratio dicentis, Bononiã inſignia libertatis & nomen gerere: Si quidem factis ipſis & tebus neget Bononia, quòd eiuſdem inſignia ferunt. Libentiſſimè enim in cliẽtelam, ius & patrocinium Romanæ Eccleſiæ vetuſtiſſimis temporibus venerunt Bononienſes, iugiterq; in hunc vſquè diem perſiſtunt, perſiſtenq; donec mortalium ſęcula finient. Meritò libertatis atquè Reipublicę nomẽ illi & inſignia pereunt. Veruntamen in ea ciuitate eſt quidã ſupremus ordo ciuium, qui vocantur Quadraginta Reformatores ſtatus libertatis Bononię. Anteà hi fuerunt ſedecim numero: vetuſtiore autem tempore erant tantummodo octo, ſicut

Arg. l. 1. C. de furt. l. ſcriptura. C. de fid. inſtr. l. vbi repugnantia. ff. de regu. iur.

Accur-

Accursius glossator alibi indicat. Porrò ciuitas vt populosior & magis frequens indies reddita est, sic etiam successiuis temporibus ordo ille ciuium auctior est factus: in posterumq; forsan ob ingentē incolarum copiam breuì rectissimè augebitur. Expedit nanquè ciuitati, & è re Romanę sedis cùmprimis est, permultos atquè pręcipuos eiusdē ciuitatis in illo ordine habere viros, qui ciuitatem ipsam in Romanæ sedis obsequio & fide contineant, simulq; ab inuasione tyrannorum custodiant. Etenim Raphael Fulgosius vir quippè insigni doctrina præditus refert, anno salutis 1401. mense Martio vi atquè armis ab Ioanne Bentiuolo tyranno Bononiam fuisse occupatam. Quam post centum circiter annos Iulius secundus Pontifex Maximus à Bentiuolorum tyrannide & iniuria (vti à maioribus meis accepi) eandem fœlicissimè liberauit, & in ius ac potestatem Romanę Ecclesiæ vendicauit. Proindè ordo ille Quadraginta Virorum quo numerosior tanto ciuitati & Romanæ sedi foret vtilior. Ad Fridericum redeo: Paulò post autē in Apulia idem Fridericus lecto æger decumbēs ab alio eius filio Manfredo, ex nobili quadam concubina suscepto, constrictis faucibus misere

in §. Interi. in uer. circ. ubi. in auc. de defensor. ciuit.

in suo cōsil. 96. col. 1. in prin.

S 2 rè

rè enecatur Anno Domini 1250. Chron. Norimberg. fol. 212. In Conrado, reliquiq; historici omnes Germani.

CONRADVS C. A.

CONRADVS quoq; Friderici secundi filius viuo adhuc patre, Rex à Germanis declaratus, malè de religiosis, deq; ecclesijs meritus est. Post multas deniquè ab ipso perpetratas virorum ecclesiasticorum & sęcularium cædes excommunicatur ab Innocentio quarto, & tandem Manfredi fratris arte, veneno hausto, moritur. in Chron. Norimberg. fol. 212. Naucler. vol. 2. generat. 42. 43.

ALEXANDER QVARTVS P. M. ETC.

RVDOLPHVS C. A.

POSTEA' verò quàm longo tempore absq; Imperatore fuit Imperium: ad id tamen interminatione Alexandri Quarti, mox & Gregorij Decimi Pōtificum eligitur anno Domini 1273. Rudolphus ab Habspurg. Qui in concilio Lugdunensis à

præ-

prędicto Gregorio, hac adiecta conditione, vt anno sequenti Romam pacificus ad suscipiendā Imperij coronam veniret, est confirmatus. Sed Italiam nunquàm petijt Rudolphus. Tantum intra Germaniæ fines latrocinia permulta, quę latè pululauerant, est egregiè vltus. Albertum eius filium fœlicibus auspicijs Austrię ducē creauit, Stiriæ, Carinthiæ, Portus Naonis, & Carniolæ. Othocarum Bohemiæ Regem rebellem Imperij bello deuicit, occiditq;. Is originē sanguinis sui à nobili Perleonum, ciuium Romanorum, familia referebat. Cum Florentinis & Lucensibus de libertate cum Cæsare ipso contēdentibus, accepta pecunia, trāsegit. Annos xix. Romanorum Rex vixit. Nauclerus vol.2. generat. 43. 44.in princ. in Chron.Norimbergen.fol. 216. Rudolphus iste. (sicuti Speculator antiquus scriptor.& Iurisconsultorū maximus optimusq; memoriæ prodidit in secūda parte in tit. de Rescripti præsentatione. in §.fi.sub num.18.) Bononiam cum suo districtu & tota Romādiola donauit, id est, declarauit ad Romanam ecclesiam ab antiquo pertinere. Id quod certum esse idem Speculator inibi testatur. Sebastianus quoq; lib. 2.Cosmographiæ in Bononia & *R*auenna idem affirmat.

C E-

CELESTINVS QVINTVS P. M. ETC.

ADOLPHVS C. A.

ADOLPHVM Comitem de Nassau Germani principes anno Domini 1292. *R*egem *R*omanorum eligunt. Qui etsi Imperium ditare studuit: veruntamen aliàs malorum morum fuisse legitur. Quamobrem à principibus Germanis administratione Imperij & honore haud longo post tẽpore exuitur. Naucler.vol.2.generat. 44. Sebast. in ipso Adolpho. Sub id tempus tota penè terra sancta in oriente perditur, Nicolao Pontifice tãtam calamitatem deplorante.in Chron.Norimberg.fol.219. Naucler.volu.2.generat.44.in prin.

BONIFACIVS OCTAVVS P. M. ETC.

ALBERTVS PRIMVS C. A.

ANNO Domini 1298. eligunt Germani principes in *R*egem *R*omanorum Albertum ab Habspurg Austriæ Ducem, prædicti *R*udolphi filium. Qui à Boni-

à Bonifacio VIII. in dignitatis officio est confirmatus. *R*udolphum eius filium Bohemis *R*egẽ dedit. Et anno 1308. à Ioanne Fratruelle ob nescio quæ diuidenda inter eos bona occiditur. Nauclerus vol.2.generat. 44. in Chron. Norimberg. fol. 22.

CLEMENS QVINTVS P. M. ETC.

HENRICVS SEPTIMVS C. A.

ADNVMERATVR prædictis Henricus septimus Comes Lucemburgensis: qui à Clemente quinto Pontifice Anno Domini 1308. electoribus nominatus, Cæsar protinus designatur. Anno dein 1311. potenti instructus exercitu Italiam petit: & *R*oma anno sequẽti à duobus vel tribus Cardinalibus mandato prædicti Clementis Imperij corona insignitur. Sed de *R*omanis demùm atquè alijs Italię Vrbibus multis malè meritus fuisse vsq; ad extremũ eius diem, legitur. Naucler. volu. 2. generat. 44. in Chron.Norimberg. fol. 222.

IOAN-

IOANNES VIGESIMVS SECVNDVS P. M. ETC.

LVDOVICVS QVARTVS COGNOMENTO BAVARVS.

DEFVNCTO Henrico octauo', quem alij septimum vocant, Germaniæ electores in oppido Franchfurt inuicem diffidentes anno Domini 1314. duos ad Imperium magnis contentionibus elegerũt. A nonnullis etenim electoribus Moguntinensi, Treuirensi, *R*ege Bohemiæ, & Brandeburgensi. (quàmuis hìc Brandeburgensis Fridericum, non autem Ludouicum voluisset: sed à Legato suo deceptus suffragium Ludouico inscius & inuitus dederit, vti Cuspinianus post alios dissertè scribit.) Ludouicus Quartus cognomento Bauarus, alterius Ludouici Bauariæ Ducis filius, ad eam rem deligitur: reliqui verò electores, Coloniensis, Saxonię Dux, & *R*udolphus Bauarię Dux Comes Palatinus Rheni, & memorati Ludouici Bauari frater, in diuersa studia contendentes Fridericum Austriæ Ducem, & eiusdem Ludouici cõsobrinum habere maluerunt.

runt. Quarè bellum inter consobrinos sic Reipublicę designatos cōtrarię illæ principum electiones cruentissimum in Germania excitarunt. Pugnatum est nanq; octennium acriter vtrinq; pro Romanorum obtinendo Imperio. At pugnę demùm succubuit Fridericus, qui & bello captus à Ludouico ea nimirùm cōditione liberationem carceris post triennium impetrauit, vt Austrię Principum dehinc nemo pro Imperij corona adipiscenda Bauarię Ducibus foret molestus: licet posteà à *R*egis titulo non abstinuerit ipse Fridericus. Elatus proindè ea victoria Ludouicus illicò nomen & titulum Imperatorium, inuito Pontifice, vsurpat, disponens cōcedensvè in Imperio multa, quę iudicio *R*omani Pontificis (etiam si ab eo confirmatus imperialiq; corona ornatus fuisset, sicuti non fuit.) subijcere nihilominus debuisset. Ad hęc, mala malis addens, quosdam minoritas fratres de hęresi damnatos, à summoq; Pontifice excommucationibus grauissimis proscriptos, improuidus Ludouicus defendendos suscepit. Vt enim Norimbergica Chronica, Cuspinianus, alijq; Germani Veteres rerum scriptores nominatim perhibent, Italis tūc, propter peruicaces Guelpho-

rum & Gibellinorum factiones, ciuili discordia iugiter certantibus ligna & faces, despecto Põtifice *R*omano, sua actoritate Ludouicus subministrauit. Porrò Mediolani Mapheum Vicecomitem & eius filios in perniciem cõtrariæ factionis Guelphicæ sic præ cęteris fouit, vt ad illius Vrbis principatum ea famili a deinceps audacter aspirarit. Vicarios quoq; singulis Italiæ ciuitatibus imperatorio nomine imposuit: Cæterùm quum Ludouicus iter *R*omam versus, quò Imperij titulos & coronam adipisceretur, pararet, auxilioq; Vicecomitum Guelphicam factionem armis atq; vi opprimeret, ab Ioanne Vigesimo secũdo vnà cum Vicecomitibus anathemate percutitur. Tum Ludouicus Germaniam repetens, exercitum colligit: indeq; maximis instructus copijs Italiam rursum petit, ac Mediolani à Guidone Petramala Episcopo corona ferrea est donatus. *R*omam dein profectus magno populi fauore excipitur, demumq; in sacra Laterani ęde à Stephano Seniore Colũnensi imperatoria corona simul cũ coniuge sua insignitur. Ea itaq; potius corona Ludouicus rẽ suasu *R*omani insanientis vulgi nephariã planè aggreditur: siquidẽ Petrũ Corbariensem, ordinis

mino-

minorũ hominẽ, qui anteà vxoratus, renitente coniuge, religioni vecors & irreligiosus sese addixerat, antipapatus dedecore infamauit, illiq;, cui Nicolao V. nomen indidit, debitam summo Pontifici reuerẽtiam ignominiosè exhibuit. Qua de causa & *R*omani historici Ludouicum (veteres Germani scriptores affirmant) inter Imperatores non connumerarunt, sed Bauarum solummodò eum posteà appellarunt: & Ioannes Pontifex sacris illi, atquè fidelium communione interdixit, varijsq; additis censuris ipsum publicè exautorauit. Scribunt veruntamen Germani, Ludouicum fuisse principem virum prudentem, & administrationi *R*egni accommodum: licet latinæ linguæ, suo scilicet malo, ignarum. Quippè ferunt Germani Veteres, dissensionis huius perniciosę inter Pontificem Maximũ & Ludouicum, causam & primam originem fuisse Vlricum quendam Augusta Sueuię oriundum: qui cùm à secretis Ludouico esset, literis sui *R*egis ad Papam latinè nimirùm scriptis, inscio domino, vindictę nescio cuius gratia, inseruerit, summum Pontificem bestiam ortam à mari, & alia plura nebulo ille perditissimus congesserit contra summum Pontificem conuicia.

Quod ſcælus & in nouiſſimis eius vitę diebus fuerit faſſus: Ob idq; crimen à facinoroſo homine illo ſic patratum Ludouicus eiuſdem tũc inſcius & planè expers, vbi poſteà reſciuit, valdè indoluerit. Qui tandem anno poſt factam de ſe electionem trigeſimo ſecundò in Bauaria à Duciſſa Auſtriæ Ioanna veneno petitus inter venandum prope Furſtenfelt Monaſterium Monialium repentè obietit, Anno Domini 1347.

Non videtur hoc loco prætermittendum, ꝙ Veteres & Neoterici ſcriptores Germani vel in hoc concordes, ac in Annalibus Boiorum præſertim, de hoc principe Ludouico tradiderunt: nempè quod hìc anno ſalutis Mundi 1338. triennio poſt obitum Ioannis XXII. in oppido Franckfurt, cõuocatis ſolenniter eò proceribus ſuis, decretum, conſilio cuiuſdam Guilielmi Occomenſis Minoritę, hominis non tã ignaui quàm arrogantis & ſeditioſi, aduerſus Bullas, proceſſus, & excommunicationes eiuſdem Ioannis in ipſum Ludouicum emiſſas, octauo die menſis Auguſti euulgarit. Illius verò decreti initium huiuſmodi eſt. Ludouicus Quartus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, &c. In quo quidem diplomate inter cætera aſſerit

Ludo-

Ludouicus, Ioannem illum Papam vigesimum secundum totam Italiam ab Imperio & Germaniæ regno separasse: Id quod ab ipso Papa fieri nequaquã potuisse, Ludouicus ea potissimum ratione contendit: quoniam Papa non est Dominus Vniuersalis, vt etiam in temporalibus habeat potestatem. Sunt etenim (Ludouicus inquit) distinctæ iurisdictiones, spiritualis, quæ ad Papam pertinet, à temporali, quæ ipsius Cæsaris est, & ècontra, iuxtà illud euangelicum: Reddite, quę sunt Cæsaris, Cęsari, & quę sunt Dei, Deo. Papæ etenim munus est, pascere oues Christi, non regna diuidere, non temporalibus se immiscere, non aliena inuadere. Addidit & Diplomati alia plura Ludouicus, quę Monachus ille Occomensis eidem tunc suggessit. Verùm duo hæc tantum, quę omnium maxima sunt, meo iam posteritati calamo, vt ut tenui, summatim explicanda duxi.

Mat.21. Mar.12. Lucæ 20 Ioã. 18. 21. Lucæ12.

Primũ erit cognitu necessariũ, q̃ nàm Cęsaris sint, & quę Dei: vt cũ Christo saluatore nostro reddamus Deo sua, & Cæsari tribuamus ꝓpria.

Sequẽti loco dispiciemus, nùm Ioannes XXII. Separandi Italiam ab Imperio & Germanię regno potestatem habuerit.

Tertio

Tertio si potestatem habuit: an separationẽ eam facere debuerit.

Cæsaris quippè proprium est, Reipublicæ consulere: ad id siquidem initio fuerit vnicè delectus. Solùm nanquè regimen Reipublicæ per legem Regiam Cæsari demandatum fuit. Proindè licet Imperator vocet se quandoq; Mũdi Dominum, attamen cuncti Iurisprudentes, & Veteres rerum scriptores illud intelligunt respectu administrationis tantùm, iurisdictionis, atq; protectionis seu defensionis: non item proprietatis aut Dominii directi: quemadmodum aliàs ego prolixè ostendi in libro, De Romano Imperio ad Ferdinãdum primum. [a] Vbi etiam indicaui, Carolum Magnum, Imperatorem à summo Pontifice constitutum, in suis literis & decretis gubernatorem se dũtaxat Romani Imperij appellasse.

Quam sanè Romani Imperij administrationem, iurisdictionem, & protectionem, accepit olim Imperator à populo [b] Romano per legem Regiam, de qua quidem Regia lege memini, me quandoq; scripsisse in libro, [c] De Moribus Maiorum & longa consuetudine. Hodie verò post Christi aduentum, vbi Cæsares facti sunt

oues

l. 2. §. Nouissimè. ff. de orig. iur. l. vnica. ibi. cũre gimenta Reipub. ad Imperatores perpetuo trãslata fuere, etc. ff. de off. præfect. pretor. Glossa ab oĩbus recepta in Proemio digest. in princ. in ver. sanctionẽ et ibi Bart. num. 3. Strab. libr. 17. sub finẽ. ibi. Augusto Cæsari totius Imperij patronium. &c. Herodianus libro suæ histo. viij. ibi. Nobis autẽ dispensatio tantũ atq; administra

oues Chriſti, illa omnia Imperij iura ab ipſius Chriſti in terris Vicario, Pontifice Romano Cęſar recipit, ac Romanæ eccleſiæ defenſor cùm primis & aduocatus exiſtit: vti in Stephani ſecundi, necnon & [d] Leonis tertij Põtificum geſtis affatim eſt videre. Tribuamus igitur & nos, vnà cum Chriſto Domino & ſaluatore noſtro, Romanorum Cæſari ſua, hoc eſt, imperij adminiſtrationem, iuriſdictionem, defenſionem. Et quò Rempublicam tueri valeat, exercitium iuriſdictionis ſibi permiſſæ, tributumq́; ei à ſubiectis populis deberi, non negemus. Nunc autem quę Dei ſint, breuì cognoſcamus.

tio principatus, &c.
[a] Sub nu. 149. cũ multis ſequẽtib.
[b] l.1.ff.de cõſt.prin.
[c] fol.66. §. Inſerta legi Regiæ, &c.
[d] In li. Põtificũ Romanorũ.

Dei omnipotentis eſſe omnia, cœlum, terram, mare, & quę in eis ſunt vniuerſa, quis negabit? quum ab ipſo Deo cuncta ſint miro ordine creata? propterea Magiſtratus quoq́; Mundi huius, ſiuè poteſtates, ipſius Dei ſunt. Quorum quidem omnium atq́; vniuerſorum hęredem conſtituit Deus vnigenitum eius filium Dominum & ſaluatorem noſtrum, per quem fecit & ſęcula: qui eſt ſplendor gloriæ & figura ſubſtantię eius portans omnia verbo virtutis ſuæ. Ob id Ioannes veriſimum de Chriſto Ieſu peribet teſtimonium dicens: In propria venit

Gen. 1.
Ioan. 1.
Pſal. 88. 23.
Ad Roma. 12.
Ioan. 19.
Ad Hebr. 1.
Ioan. 1.

nit, & ſui eum non receperunt. Atquì ipſa veritas illud idem diſcipulis notum fecit ſacroſancto ore ſuo iniquiens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. & rursùm. Poteſtatem omnis carnis à Deo patre ſibi datam affirmat. Vt ex iam memoratis certò liqueat, hanc poteſtatē & regnum Chriſti in cœlo & in terra non proficiſci de hoc Mundo, ſeu non deſcendere hinc ex aliqua poteſtate mundana: ſed de ſuper, hoc eſt à Deo huiuſmodi poteſtatem & regnum Chriſto obueniſſe: quemadmodum ſuperius in Conſtantino magno explicuimus. Quarè ad inſtitutum vt redeam: Cæſari reddatur à ſubditis imperio tributum, reddantur & alia (vt dixi) ipſius Cæſaris propria: quibus Catholicam Rom. eccleſiam & totam Rempublicam defendere, atquè vti miniſter à populo Romano olim conſtitutus, & hodie à ſummo Pontifice Romano, interuentu electorum, atq; ſupremę coronationis, creatus, rectè adminiſtrare poſſit. At verò Deo & Chriſto ſuo, vniuerſorũ hæredi, cui data eſt omnis poteſtas non ſolùm in cœlo, ſed etiam in terra, & omnis carnis, debitus cultus, & vniuerſa omnia, quę in cœlo, quæ in terra ſunt: ſiue illa ad principatus

Mat. 28.

Ioan. 17.

tus

tus, regna, poteſtates, & imperia pertineant: ſiue aliò quorſumcunq; ſpectent, ſiue homines quoq; ſint, reddenda ſunt: ab illo ſolò & Chriſto Domino & Deo noſtro reuerenter agnoſcenda ſunt: ad illum cuncta penitus (nihilo omninò excepto) & Chriſtum ſuum ex paulò ante adductis planè ſunt referenda. Explicitus eſt locus ille, Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Iam verò ſequens aggrediamur dubium.

An poteſtatem habuerit Ioannes Vigeſimus ſecundus ſeparandi vniuerſam Italiam ab Imperio & Germaniæ regno, vt regnum per ſe eſſet Italia, nunc pro re nata inquiramus. Quòd autem illa Italiæ ſeparatio ab Ioanne facta fuerit, & regnum per ſe Italiam eſſe Papa voluerit, abundè ſatis conſtat in Annalibus Boiorum, in Ioanne Nauclero, in Alberico de Roſate clariſſimo legum interprete: quibus in locis præter claram teſtificationem eiuſdem Ludouici Bauari hoc ipſum diſſertè traditur. Quam porrò Italię ſeparationem fieri à Papa iure potuiſſe, in confeſſo eſt. Si enim Papæ Syluestro, & Apoſtolicæ ſedi Romanæ vniuerſa Italia cum adiacentibus prouincijs fuit conceſſa, ſeu reſtituta,

Libro 7. fol. 779. 780. ver. Quocirca liquet. vol. 2. gener. 45. fol. 887. verſ. In ſuper. In ſuo diction. in ver. Italia.

& titulo etiam donationis tradita, uti fuit: ſicut in ipſo Syluestro anteà ſcripſi: cur dein Pontifex quandocunq; eam ab reliquo imperio ſeparare pro libito non poſſuiſſet? Ad hęc, Papa eſt Petri ſucceſſor & Chriſti Vicarius, igitur ſummam vniuerſorum poteſtatem Chriſto datam, & à Chriſto in Petrum trāslatam, Vicarius ipſius Chriſti in terris iure exercebit: vti hiſcè atq; alijs permultis efficaciſſimis rationibus & exemplis, quæ hic iam repetęre ſuperuacaneum foret, in Conſtantino magno prolixè anteà tradidi.

Putauit etenim conſultum iri melius Italiæ, & Germaniæ, Chriſtiq; ouibus Ioannes, ſi ea fieret Regnorū diſcretio: meritò etiā eam fecit. Cur quæſo non potuiſſet Papa ſeparare partem Romani imperij à reliquo toto imperio, ſi ex ampliſſima eius paſtoralis officij poteſtate imperium illud totum à Græciæ regno olim penitus ſeiungere valuit, ſeiunxitq;? Ridiculum eſſet profectò, de validitate iſtiuſmodi ſeparationis Italiæ dubitare, cùm ex paulò ante traditis, tùm quòd aliàs ante Ioannem Vigeſimum ſecundum Hadrianus primus Italiam, vti peculiare regnum Pipino Caroli magni filio, addixit, ipſumq; Pipinum Regem Italiæ ſolenniter

l. Quæ à tota. ff. de rei vēd. cum ſimilib.

inunxit

inunxit. Hadrianus Quartus idem Italiȩ regnũ, defuncto Pipino, ad Lotharium Ludouici primi imperatoris filium trãstulit. Et Lotharij subindè Imperatoris filium Ludouicum primogenitum Sergius secundus diademate regio Italiæ, solenni de more adhibita vnctione, insigniuit. Vt ex his quoq; planè compertum sit, non esse indecens aut nouum, Italiam à Germaniæ regno seu imperio, per Ioannem Vigesimum secundum fuisse separatam. Nunc verò an Ioannes ille Pontifex eiuscemodi separationẽ Italię facere debuerit, ordine cognoscamus.

Dicet fortè aliquis, superuacuam fore huiusmodi cognitionem, quia sola summi Principis voluntas in casu etiam transferendi de vno in alium dominij, iusta, secundum Doctores canonicę atq; Ciuilis legis interprętes, ac rationabilis est censenda. Ideoq; si voluit summus Põtifex Italiam à Germania separare, dicetur ęquè illud iustè debuisse. Ceterùm de illa simplici & libera Principis voluntate disputatio hic mea non est: quin potius de principis facto, quod recta cùmprimis ratione, & pia quadam sic faciẽdi necessitate omninò regatur, mea est in pręsenti disceptatio.

Gloss. in l. Relegati ĩ ver. ex aliqua cã, vbi & Bar. ff. de pœnis. Cyn. Bal. & reliqui in l. rescripta. C. de precibus Imper. offer. Doc. in c. quæ in ecclesiarum. de consti.

Expediret quidem citra controuersiam nobis & vniuersę Reipublicę Christianæ simul (vti alicubi quandoq; scripsi) Vnitas animorum, pax, atq; coniunctio imperij, prouinciarum, & ciuitatum: vt sicut vnum corpus in Ecclesia sancta sumus, ita quoq; idem in Republica sentiremus. Verùm quoniam sunt quędam vehemẽtes causę, quę huiusmodi sectiones imperij, & separationes regnorum, siuè prouinciarum non modo permittunt, sed magnoperè efflagitant: illarum aliquas iccircò iam paucis explicabo.

In lib. de Rom. Imperio ad Ferdinã dum primũ. nu. 214. cũ sequent.

Causa separandi Italiam ab imperio & Germaniæ regno, Cęsaremq; ab ea remouendi iusta fuit: si Romanorum Rex ad imperium electus, siuè Imperator Italiã tueri, protegere, atq; iuuare in suis necessitatibus neglexisset. Sic nãq; tutor, qui Reipublicę administratori, quemadmodum Respublica pupillo, probè comparatur, si pupillum negligat: velut suspectus ab officio est remouendus. Simili modo Rex vbi negligit subditos, regno est amouendus. Sed paulò ante tempora Ioannis XXII. Italiam multi (nota est historia) non adierunt Cęsares Germani, illamq; splendidè neglexerunt: meritò iustã separationis causam neglectus ille peperit.

Alia

Alia separationis causa iusta fuit: si Cęsar Germanus de Italis malè meritus esset, ac eos perperam tractasset: tunc ob malam subditorum tractationē iustè remoueretur à beneficio Vassallus, feudoq; priuaretur: pręsertim quando à superiore monitus non rescipuisset. Cōgruit enim bono Reipublicæ Moderatori pacatam & quietam retinere vnāquāq; prouinciam: non autem illas ad seditiones & dissidia excitare. Cęterùm diebus illis Ioannis XXII. & multò etiam ante tota Italia factionibus atq; perniciosissimis seditionibus, quarum Germani Cęsares (sicuti loco superiore in gestis Friderici secundi tradidimus) contra illorum officium, contraq; adeò charitatem Christianam fuerunt authores, scindebatur cōficiebaturq; miserè, neq; Pontificum monitiones ea in re quidquàm proficiebant: igitur iustam priuandi Germanos Cæsari Italiæ regno causam eam fuisse adfirmo.

Afflict. decis. 263. nu. 72.

c. 1. §. publici latrones, vbi Bal. & Aluarottos per illū tex. ĩ tit. de pace tenend.

L. Congruit. ff. de offic. præsid.

Tertia separandi à Germania Italiam causa plusquàm iusta fuit, summus maximusq; contemptus, & cruentissima irrisio Pontificum Romanorum, ac reliquorum sacerdotum, & eorundem fautorum. Porrò Fridericus secundus, qui ante Ioannem vigesimum secundum, vt dixi,

xi, vixit, quò ad saturitatem Pontifices maximos sperneret, & ad immensam eius voraginē vniuersam Italiam cū risu & cachinno sanguine compleret: duas principio Pisis ex composito instituit factiones, Guelphicam, quæ summo Pontifici & ecclesię fauere vellet, Gibellinā, quę Cęsaris partes sequeretur, à duarum bestiarum nominibus vtranq; appellans. Guelphi enim seu Vvelph lingua Germanica vocantur Lupi: Gibellini verò apud Germanos ea nominantur (quemadmodum & apud Italos) animalia, quę nobilissimis cōteguntur pellibus. Quasi fauentes Cæsari, sint ōmnium nobilissimi: fauentes autem ecclesię & summo Pontifici, essent omnium asperrimi, rapacissimi, ab omnibusq; sicut lupi deuitandi, ac fugiendi. Vndè quia hìc infandus contemptus non solùm pertinet ad destructionem Italiæ, ad dedecus sacrosancti sacerdotij, & iniuriam ecclesiæ maximam, sed etiam ad manifestum Christi & Dei viuentis contemptum, ipso nimirùm Christo dicente, Qui vos spernit, me spernit, & reliqua: separatio Italiæ à Germanico regno ob hanc solam causam iustissimè facta fuit, fieriq; omnibus modis debuit. Cęsares quippè, sicut & alij

Luc. 10. Ioã. 12. prima ad Thess. 4 Ps. 104.

cuiusq;

cuiusq; sortis homines, ecclesiam non audientes sunt planè à nobis longè lateq; reijciendi. Mat. 18.

Quarè ex his oppido constat, quòd si ad imperium electus in Romanorum regem negligeret per contemptum Romam adire, & de manu summi Pontificis imperij coronam reuerenter suscipere: is tunc deberet à summo Pontifice (post factam ea in re admonitionem) excommunicari & ab omni regno eiusq; administratione procul eijci. Qui enim vos audit, me audit: & qui vos (inquit veritas) spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.

Fuit & alia quoq; haud postrema causa separandi Italiam ab Imperatore & toto imperio: quia Ludouicus Bauarus in omnibus Italiæ ciuitatibus, in quibus nullum planè ius habuit, vicarios imperij constituere, non dubitauit, vti Cuspinianus in ipso Bauaro, reliquiq; authores Germani tradunt. Ideoq; culpa Bauari separationem huiusmodi factam meritò dixeris. l. culpa. ff. de reg. iur.

Quinto loco causa separandi Italiam à Germania esse posset: quando Cæsar Germanus (quod absit) hęresi aliqua (sicuti alio priore nuper tradidimus articulo) laboraret: aut Romanam

nam Apostolicam sedem requisitus ab aliorum iniurijs non defenderet. Has etenim ob causas Romani Pontifices Imperium à Gręcis olim separarunt: igitur ob easdem partem imperij à Germanis iam rectè seiungerent. Præsertim verò quia hæreticus vbi subuersus est, planè vitari, & à commercio Catholicorum arceri, separariq; ex præcepto Apostoli debet: Et beneficiarius, qui Dominum suum requisitus non defendit aut non iuuit, beneficio est priuandus. Possent & alię quàmplures in mēte summi Pōtificis à spiritu sancto illustrati adęsse separationis Regnorum vel imperij causæ: quas imbecillis ingenij mei acies nulla meditatione assequi valeat. Pauca hæc duntaxat velut exempla quædā, & imagines subiectæ rei, summo quasi digito indicasse sufficiat. Gesta Cęsarum ex authoribus Germanis referre nunc pergo.

In libro Pontifi. cap. 49. nu. 188.

l. quæ de tota. ff. de rei vēd.

Ad Titū cap. iij.

facit c. Venerabilem. de electio. Glos. in c. 1. §. vlt. in tit. de pace iuram. firmā.

INNO-

INNOCENTIVS SEXTVS P. M. ETC.

CAROLVS QVARTVS C. A.

VIVENTE adhuc Ludouico, eligitur anno ſalutis 1346. in Cęſarem Carolus Quartus Bohemię *R*ex à Germanis principibus. Naucler. vol.2.generat. 45. in Chron. Norimberg. fol. 231. Qui Italiam demùm, in qua nullum ius, ob memoratam nuper Ioannis xxII. Pontificis ſeparationem, penitus habuit, cum vxore ingreſſus Romę ingenti applauſu à duobus Cardinalibus Pōtificis iuſſu imperiali diademate coronatur. Nouatores quoſdam religionis ſummo Pontifici iudicandos Carolus tradidit. Superſtitioſam flagellantiū ſectam armata manu eliminauit, Moguntię pręſentibus Apoſtolicis legatis, alijsq; Archiepiſcopis Germanię pluribus, contra totius Germanici cleri luxū haud leuiter eſt inuectus. Cui nullus ab Epiſcopis modus, nulla reformatio, nullus erat vsq; tum finis præſtitutus. Cōſtitutionē Carolus de electoribus, quos imperij Romano-

rũ & de Romanorũ *Rege* ab eis eligẽdo in Bullam auream redegit, Anno Domini 1370. Gregorius XI. (Nauclerus commemorat) vt expeditionem cõtra fidei Christianæ hostes semel moueret, plùries est Carolum hortatus. Verùm sciebat Carolus difficillimum esse Germanis, orientis sustinere calores. Quamobrem summo Pontifici respondere solebat, sine multorũ fidelium strage terram sanctam recuperari non posse, aut etiam recuperatam nullis uiribus retineri diutius posse, confidere. Ideoq; abstinendum satius iudicare. Hìc Cęsar dum esset in Italia nonnullas inuestituras de aliquibus prædijs atq; oppidis Italicis dicitur concessisse petentibus. Verùm cùm ipse Carolus nullũ ius prorsus haberet in Italia, propter separationem Ioãnis XXII. Pontificis de Regno Italiæ ab Imperio factam, vt in Ludouico Bauaro pridem tradidimus: nullam identidem inuestituram de prędijs Italiæ vel oppidis facere potuit: siquidem plus iuris, quàm quis habeat, transferre in aliũ nemo possit. Prætereà quũ vniuersa Italia fuerit ecclesiæ *Romanę* per Constantinum donata seu restituta, quemadmodum loco anteriore in Syluestro scripsi: qua ratione Carolus, cui nullum

plus iuris. ff. de reg. iur. l. 2. & toto tit. C. de rebus alien. nõ alienandis.

nullum planè comperijt in Italia ius, Italica oppida iure feudi cuiquàm dare potuit? Nequè obijci à possessoribus potest longissimi etiam qui, aut immemorabilis temporis pręscriptio: quandoquidem obedientię, quam subditi semel supremo principi debent, nullo penitus tempore præscribi potest. Igitur per huiusmodi inuestituras, & longissimam immemorabilemq; oppidorum & prædiorum possessionem, obedientię Romanę sedis illa oppida subtrahi non potuerunt. Deniquè fortissimè obstaret beneficiarijs istis (vt sese vocant) Imperij, si ipsi quoq; essent (citra iniuriam dictum) receptatores latronum, vel alijs criminibus obnoxiorum: ideoq; instar latronum essent & ipsi puniendi, & dominio cùmprimis prędiorum seu oppidorum, in quibus talia patrarent flagitia, essent priuandi. Pessimum nanq; hominum genus tales reorum receptatores lex appellat. Et quum latrones ac exules sint contemptores Apostolicæ sedis, & regulariter inimici, tenentur subditi Apostolicæ Sedis huiusmodi latrones præhendere, & ministris eiusdem sedis (si possunt) tradere: aliàs secundum Afflictū & Doctores omnes, omni beneficio, quod ab ipsa sede habēt,

l. Compe rit. vbi Salyc. et Doct. per illū tex. C. de præscrip. 30. vel 40. anno. Et egola tè in lib. de Rom. imperio sub nu. 12. ostendi.

l. 1. l. 2. §. Domini et. C. de his qui latro. oc culta.

l. 1. ff. de receptatoribus. Afflict. decis. 265. & in §. itē si quis feudum. in 22. cā priuatio nis Tit. Quibus mod. feu. amitt.

exui protinus debent. Sileant ergò improbi homines: qui in Italia sub prętextu feudi Imperialis recipiũt in illis assertis feudis latrones aut homicidas, plagiarios, fures, exules Apostolicæ sedis Romanæ inimicos, prædones, ac etiam perduellionis reos: vt ipsi talibus muniti facinorosis hominibus timeantur in ciuitate, & tyrannidem in conciues suos & ciuitatis perniciem fœdè exerceant. Hoc pessimum hominum genus appellitat se libẽter vasallum seu beneficiarium imperij: nè à summis Pontificibus, velut in feudis illis alienę iurisdictionis homines, possint puniri. Cæsarem verò non metuunt, quia longissimè in Germania abest. Vndè impunitatem tanti scæleris non feudo imperij, quod verè nullum quidem est, sed dolo & fraude graui sibi ipsis quęritant. At quàm parum deceat pręsulem talia in commissis fidei suæ prouincijs crimina dissimulare, testantur vel ipsi ethnici dicẽtes: congruere bono & graui viro, qui prouincias regit, pãcatas & quietas retinere prouincias. Id quod facilè obtinebit (inquit legislator) si solicitè curabit, vt prouincia malis hominibus, & malorũ hominũ receptatoribus omninò careat. Non enim possunt diu latere delinquẽtes

In l. Congrui: ff de offic. præsid.

d. l. 1 ff. de receptatoribus.

tes, si receptatores nullos habeant. Id ipsum ęquè testatur Diuus Ambrosius ex auctoritate sacræ scripturæ inquiens: Vbi interficitur impius, Christus infunditur: & cùm abominatio abolétur, sanctificatio consecratur. Quarè Menāder in Adelphis memorię proditum reliquit: non esse indulgendum malis, sed planè resistendum: sin minus, sursum atq; deorsum vita nostra inopinatò tota peruertetur. Et tradunt Sapientes: quòd delicta non punire, aliud nihil sit, quàm bonis nocere. Non porrò frustrà dedit nobis Deus magistratū, vt indulgentia eius, & fortè nimia, essent, grauia præsertim, crimina impunita. Ideoq; magnus ille Apostolus ait, si malum feceris, time magistratum: non enim sine causa gladium portat.

In c. Nę s 15. q. 1.

§. quòd si delinquentes. vbi glos. in ver. simplicium. in auth. de manda. princip.

Ad Roman. 13.

Ad hęc, si Christus Dominus & Saluator noster tantoperè abhorruit speluncas latronum, vt vi atq; verberibus etiam eas dissipauerit: cur vicarius eius vestigia Domini (vt decet) strenuè imitatus idem non pręstaret? Sed hęc obiter: aliàs vberiore calamo hūc fortassis tractabimus locum.

Mat. 21. Mar. 11. Luc. 19.

VRBANVS SEXTVS P. M. ETC.

VVENCESLAVS C. A.

HISTORICI ſcribunt, Vvenceslaum Caroli Quarti filium non virtute animi, ſed precio veniſſe ad Imperium Anno Chriſti 1378. non admodum idoneum tantæ rei adminiſtratorem hunc fuiſſe aiunt. Sub eius Imperio Huſſitarum illa peſtis in Bohemia primùm eſt ſuborta, atq; continuò viribus aucta. Bis à principibus & fratre eius Sigiſmondo cuſtodię traditus fuit: ac tandem Pontificis auctoritate per Germanos principes regno deiectus. Naucler. volu. 2. generat. 46. 47. in Chron. Norimbergen. fol. 233. 234.

RVBERTVS C. A.

RVBERTVS Bauariæ Dux Comes Palatinus, reprobato Vvenceslao, ad regimē Imperij anno ſalutis 1400. acceſſitur, coronaturq; à Germanis in Regem, & à ſummo Pontifice in officio confirmatur. Vir quidem Chriſtianiſſimus & iuſtitiæ cultor hìc fuit: verùm de illo apud ſcriptores

Ger-

Germanos sic duntaxat legitur. Contra Mediolanenses Rubertus cum exercitu properans intra Tridentum & Brixiam cęditur ab equitatu Galeatij Ducis Mediolani. Post acceptam cladem Germani principes auxilio & copijs illum Tridenti deserunt. Nauclerus volu. 2. generat. 47. Chron. Norimberg. fol.236.

MARTINVS QVINTVS P. M. ETC.

SIGISMVNDVS C. A.

SIGISMVNDVS alter Caroli quarti filius hortatu Papę Ioannis XXIII. à Germanis principibus Imperator designatur anno Domini 1410. Is vel eo in primis nomine est laudandus, quòd ecclesiam Catholicam in tres tunc temporis conscissam partes ad vnitatem & summam tranquillitatem reduci per Constantiensem synodum sedulò curauit, anno Christi 1415. Dùm illa celebratur Constantię synodus, Ioannes Hussius hereticus Bohemus ad Concilium venit: & quum bis indè fuga sibi prospiceret, bisq; depræhensus fuisset, neq; ad sanam mentem sępissimè admonitus redire vellet, flammis ibidem, Sigismundo

pręsente,

præſente, traditus eſt. Eodē ignis ſupplicio poſt ſeptimanas aliquot Hieronymi Huſſij conſimilis idemq; furor illic cohibitus eſt. Sigiſmundus autem abolendi ſchiſmatis percupidus, ad *Re*gem Angliæ primùm, dein ad Regem Gallorũ, ſubindè continua profectione in Hiſpaniam ad Regem Aragoniæ cum oratoribus Concilij ipſemet eſt profectus. Promeruit itaq; Regũ omnium voluntatem, vt conuentui Conſtantienſi tantum deferrent, quantum nulli illius temporis Pontificum, qui tres inuicem contrarij erant, aut omnibus ſimul. Quæ res tollendi de eccleſia certamen atquè diſſidium prima cauſa fuit. Mores tàm ſęcularium quàm clericorum nimia labefactatos licẽtia eius ſuaſu & virtute ad meliorem normam ſynodus reduxit. Romam poſteà veniẽs ab Eugenio quarto & Romanis ſummo honore eſt habitus, imperialiq; corona ornatus. Rex quoq; tandem Bohemię conſtitutus, collapſas in Regno eccleſias proprijs ſumptibus reparauit, ac pro virili fidem catholicam inibi relabentem reſtituit. Naucler. volu. 2. generat.48. in Chron.Norimb.fol.239.

ALBERTVS SECVNDVS C. A.

ALBERTO secundo Austriæ Duci & Sigismundi prædicti genero Imperium anno Domini 1438. commendatur. Qui cita morte interceptus ad sesqui annum gubernacula Imperij tractans memoria dignum post se parum reliquit. Naucler.volu.2. generat.48.in Chron. Norimberg. fol. 239.

NICOLAVS QVINTVS P. M. ETC.

FRIDERICVS TERTIVS C. A.

ANNO Christi 1440. successit in Imperio Fridericus tertius Ernesti Ducis filius, princeps pius, qui hæreses & contra Apostolicam sedem Romanã errores magna virtute compescuit, & se corona Imperij, quam meritò de manu Pontificis Romæ acceperat, dignum egregiè præstitit. Adsciuit in Imperio sibi Maximilianũ filium, quem anno 1486. Germani principes Franchfordiæ Regia corona insigniuerunt.

FINIS.